



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theologiae Speculativae Scholasticis Prælectionibus Et
Exercitiis Accommodatae Libri IV**

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Tractatus II. De Sacramentis In Genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS

IN GENERE

CAPVT I.

DE NATURA SEV ESSENTIA
SACRAMENTI THEOLOGICE ET DOGMATICE
SVMPPTI.

CONTROVERSIA I.

An ad rationem Sacramenti spectet ratio Signi, Symboli, & Causse.

454. **N**otandum 1. Hoc nomen Sacramentum, non fuisse primitus institutum ad significandas illas Ecclesiæ Cæmonias, quas hodie Sacramenta vocamus, & de quibus deinceps acturi sumus. Nam apud profanos Scriptores maximè usurpabatur pro Juramento: aliquando etiam significabat Pignus litigantium apud Pontifices in loco sacro depositum: ac denique significabat rem Secretam & occultam, seu Mysteriosum, propter aliquam excellentiam; qui sensus frequens est tam in veteri quàm Novo Testamento. Tob. 12. Sacramentum Regis abscondere bonum est. Ad Ephes. 1. Vt notum faceret Sacramentum voluntatis sue. & c. 3. Quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo.

455. Notandum 2. Quamvis ea, quæ Theologicè & Dogmaticè Sacramenta vocamus, nusquam in Scriptura S. hoc nomine vocentur (excepto fortè Matrimonio, quod multi volunt à S. Paulo in hoc sensu vocatum esse ad Ephes. 5.) nihilominus tamen ab antiquis Patribus, ac tandem etiam à Scholasticis Theologis, & Ecclesiæ Doctoribus hanc strictiorem significationem accepit hæc vox Sacramentum, vt illas septem species Cæmoniarum Novæ Legis, ac etiam quasdam Cæmonias Antiquæ Legis, quæ Sacramentorum Novæ Legis Vmbra & Figura erant, vt Circum-

cisionem, Consecrationem Sacerdotum, Esurum Agni Paschalis &c. nomine Sacramenti specialiter exprimeremus. Quænam autem fuerint illa prædicata, ad quæ respexerint illi primi usurpatores hujus restrictæ significationis, in progressu discutiemus. Non enim cogitandum est, temerè & arbitrariè hæc Signa præ alijs, v.g. præ Benedictionibus Aquæ, Cereorum, &c. Sacramenta vocata fuisse, sed ob convenientiam aliquam sive Analogicam sive Vniuocam id factum esse existimandum est: alioquin articulus Fidei de Numero Sacramentorum novæ Legis, non tam esset articulus de Re, quàm de Nomine.

456. Notandum 3. Ex certa Catholico-rum doctrina, Sacramenta esse sub ratione & genere Signi significantis veram animæ Sanctitatem. Supponitur hæc veritas à Concilio Tridentino sess. 13. in Decreto de Eucharistia c. 3. initio, vbi ait: Eucharistia hoc commune esse cum cæteris Sacramentis, quòd sit Symbolum Rei Sacræ, & invisibilis Gratiæ forma visibilis. Et licet videatur loqui de Sacramentis Novæ Legis, quia tamen Sacramenta Veteris Legis hoc nomen acceperunt intuitu Sacramentorum Novæ Legis, quorum erant figuræ, ideo negari non potest, etiam Sacramenta Veteris Legis significasse veram Sanctitatem, saltem illis conferendam, qui existuri essent in Nova Lege, quam lex vetus adumbrabat.

Y y 3

brabat. 2. ad Coloss. 17. *que sunt Umbra futurorum.* & ad Hebr. 10. *Umbra habens lex futurorum bonorum.* Eandem veritatem agnovit S. Thomas q. 60. a. 2. ad ultimum, & S. August. 19. contra Faustum c. 16. dicens, Sacramentum esse Donum temporale, significare verò Donum æternum. Præterea eadem veritas tradita est à Conc. Florentino in Decreto Unionis. ubi dicitur, Sacramenta Veteris legis multum differre à Sacramentis nostris, quòd non causabant Gratiā, sed eam solū per Passionem Christi dandam Figurabant. Ratio desumi potest ex ipso nomine *Sacramenti*, quod debet significare aliquod latens & arcanum Mysterium: non potest autem aliud commodius assignari, quod per omnia Sacramenta significetur, quā Sanctitas Animæ, utpote Radix futuræ Beatitudinis. Est ergo hoc primum prædicatum, ad quod respexerunt illi, qui primi hoc nomen *Sacramentum*, in hodierno rigore Dogmatico usurpârunt.

457. Notandum 4. Sacramenta non esse Signa qualiacunque, sed esse Signa Symbolica, hoc est, habentia in se Similitudinem aliquam specialem cum Gratia speciali cuiusvis Sacramenti: v. g. *Baptismus*, quatenus est externa ablutio corporis, habet similitudinem quandam cum ablutione interna animæ, quæ fit per Gratiam Baptismalem, quatenus emundat à culpis commissis, & à peccato originali. *Confirmatio*, quatenus fit per Vnctionem, quæ alioquin adhibetur ad roborandum corpus, habet similitudinem cum Gratia Confirmationis, ut roborante hominem ad defendendam fortiter fidem susceptam per Baptismum. *Eucharistia*, quatenus est cibus & potus, significat spirituales animæ refectiōem, & restauratiōem fervoris, vel augmentum illius. *Pœnitentia*, quatenus continet externum processum Judicalem, significat Gratiam Remissivā peccati, commissi ab illo qui jam subest Jurisdictioni Ecclesiæ. *Extrema Vnctio*, quatenus solebat adhiberi ab illis, qui ad agonem & luctum se parabant, significat symbolicè Gratiam confortativā in ultimo agone, contra Dæmonis insidias & impugnatiōes. *Ordo*, quia confertur per certas ceremonias, quales solent adhiberi in collatione alicujus potestatis, Symbolizat Gratiam exercendi illa munera, ad quæ fidelis per hoc Sacramentum destinatur. Denique *Matrimonium*, quia est institutum ad propagandum Genus Humanum, ex mutuo consensu & obligatione conjugum, significat conjunctionem Christi cum Ecclesiā, ejusque Voluntatem conferendi Gratiam necessariā ad onera Matrimonij rectè sustinenda, ad prolem in fide Christiana rectè educandam &c.

458. Cū ergo in omnibus Sacramentis aliqua hujusmodi Symbolizatio inveniatur, prudenter dubitari non potest, quin ad hoc etiam prædicatum probabiliter respexerint illi, qui primum nomen Sacramenti dogmaticè usurpârunt. Et hoc non dicitur gratis, sed ab auctoritate confirmatur. Nam imprimis, ut jam suprà retuli,

Tridentinum dicit, hoc esse Sacramentum commune, quòd sint Symbolum rei sacræ. S. Augustinus Epist. 23. [Si, inquit, Sacramenta quorundam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.] Magister Sententiarum in 4. d. Sacramentum, inquit, ejus rei similitudinem gerit, cujus signum est, si enim Sacramenta non haberent similitudinem rerum, quarum Sacramenta sunt, propriè Sacramenta non dicerentur. Idem expressit Hugo de S. Victore. Quibus bis utique noluerunt negare, quòd Causam libuisset, potuisset signa Gratiæ institui, ea hujusmodi Symbolicam rationem non habentem, sicut Hedera non habet cum vino vendibili, quæ enim esset in hoc repugnantia aut impedimentum solū ergo voluerunt dicere, hoc ita convenienter defacto oblatum esse in omnino, & inde meritò colligi possit, quòd si hæc signa Symbolicam rationem non haberent, non eis deus Christus assumpsisset, & si plura Sacramenta instituere voluisset, etiam in illis simile quiddam vâller: & ulterius colligi possit, quòd quæ defacto hujusmodi Symbolicam rationem non habent, hoc ipso nomine Sacramentorum censeri non sint.

459. Controversum est, vtrum ad nomen Sacramenti in genere, prout prædictum novæ & veteris legis Sacramentis, iustitiam habere rationem Signi, hoc est, significare Gratiam habituales, tanquam veram animæ Sanctitatem, etiam si nec hanc sanctitatem, neque aliam Sanctitatem legalem causer, vel an insuper requiratur, ut illi Personæ cui Cæremonia Sacramenti applicatur, conferat aliquam Sanctitatem, utque sit signum non merè speculativum, sed etiam practicum alicujus Sanctitatis qualiscunque.

460. Prima sententia est P. Vasquez d. 1. c. 5. n. 54. ubi ait, se quidem non negare, cum veteris legis Sacramenta legalem quandam inditiam & sanctitatem effecisse, hoc tamen, ut ad rationem & conceptum Sacramenti non pertinet, sicut non pertinet efficientia vera Sanctitatis. Vnde malè Vasquezium intellexit Arragon. p. quasi tantum negâsse efficientiam veræ Sanctitatis esse de conceptu Sacramenti. Vasquezium sequitur Gaspar Hurtadus d. 1. difficult. 4. contra quosdam alios.

461. Secunda sententia est P. Arragon. p. docet, non esse quidem de ratione Sacramenti, ut effectivè causer aliquam Sanctitatem, internam sive externam, sed tamen de illius efficientia esse, causare aliquam Sanctitatem Formalem. Fundamentum illius est, quia de ratione Sacramenti est, esse Cæremoniā aliquam Sacramenti est, esse Cæremoniā aliquam Sacramenti est, ergo persona illa cui exhibetur & applicatur, ut ab hac cæremonia tanquam à forma denominabitur sacrata, seu aliquo modo consecrata, ac facta. Verum hæc doctrina non procedit de Sacramento Eucharistiæ, quod est Sacramentum permanentis, & licet includat aliquam Cæremoni-

niam, nempe consecrationem, quæ sit per Verba Christi, per hanc tamen actionem non consecratur aut sanctificatur homo formaliter, quando recipit hoc Sacramentum.

462. DICO, de ratione Sacramenti esse, ut sit collativum, vel effectivè vel formaliter, alienius sanctitatis, sive internæ, sive Legalis & Externæ; adeoque illos, qui primi hoc nomen Sacramentum, imposuerunt & applicaverunt Ceremoniis tum antiquæ tum novæ legis, attendisse ad hoc prædicatum, & in quocunque illud non repererunt, illud noluerunt nomine Sacramenti comprehendere; ita ut si Circumcisio non sanctificasset legaliter, sed fuisset merè instituta ut Signum politicum, vel sicut hodie Turcæ circumcidunt, sed non sanctificantur, non applicassent illi nomen Sacramenti. Conclusio est communis cum S. Thoma 1. 2. q. 102. a. 5. in C. ubi eam declarat inductione per Sacramenta Veteris Legis: primò enim Circumcisio sanctificabat, efficiendo membrum populi specialiter à Deo electi, ut gauderet favoribus illius populi, & admitteretur ad Legalia. 2. Consecratio Sacerdotum eos specialiter reddebatur eximios, & conferebat potestatem offerendi victimas, & edendi panes propositionis &c. 3. Purificationes à quibusdam exterioribus immunditiis, & expiationes à peccatis, removebant ea, quæ impediabant à cultu divino; quod etiam vocat S. Thomas abluitionem manuum & pedum, & rationem pilorum.

463. Probatur Conclusio 1. Si ad rationem Sacramenti non requireretur Vis aliquo modo Sanctificandi, sed sufficeret præcise significare sanctitatem veram, sequeretur, multa fuisse Sacramenta, quæ tamen à nemine inter Sacramenta numerantur, v. g. transitus maris rubri, comestio Manne, & plura similia, quæ significabant in figura Gratiâ per Christum conferendam, atqui hæc nemo inter Sacramenta numerat: ergo ad rationem Sacramenti non sufficit, significare Sanctitatem veram, nisi etiam conferat aliquam Sanctitatem. Ita Lugo, Dicastillo, Pallavicinus.

Respondetis cum Arriaga, hæc omnia ex alio capite excludi à ratione Sacramenti, nempe, quia non sunt Signa Stabilia: aliquam autem stabilitatem requirit ad rationem Sacramenti, dicitur infra.

Sed contra. Quia etiam illi DD. qui ad rationem Sacramenti nullam requirunt stabilitatem, nihilominus hæc omnia recensita à ratione Sacramenti excludunt: ergo signum est, quod ex defectu Sanctificationis fuerint semper à ratione Sacramenti exclusa, esto etiam ex alio capite excludi possint.

464. Probatur Conclusio 2. ex Sacrificio novæ legis: hoc enim formaliter quæ Sacrificium est, non est Sacramentum, & tamen etiam quæ tale formaliter significat Sanctitatem per Christum conferendam vel collatam, ergo solum ideo non est Sacramentum, quia quæ Sacrificium non causat Sanctitatem; neque enim potest 9

stendi, ex quo alio capite deficiat à ratione Sacramenti.

465. Obijcit Vasquez. Si rō causare sanctitatem, esset prædicatum substantiale seu Essentiale Sacramenti, & non merè accidentale, tunc Sacramenta antiquæ & novæ legis non convenirent nisi analogicè, adeoque non possent vnâ definitione definiri: consequens est contra communem sensum; communiter enim conantur DD. dare vnâ communem definitionem. Sequela probatur. Nam rō causare Sanctitatem legalem, seu impropriam & merè externam, & causare Sanctitatem propriam & internam, non conveniunt nisi analogicè, sicut sanctitas propria & impropria, non conveniunt nisi analogicè: atqui definitio tradenda est per prædicata essentialia. ergo &c. Respondetur, infra disputatum iri de veritate sequelæ.

CONTROVERSIA II.

Virum de ratione Sacramenti sit, esse Signum seu Ceremoniam Stabilem.

466. DICO 1. Non requiritur ad rationem Sacramenti tanta stabilitas, ut duret toto illo tempore, quo durat Religio in qua Sacramentum est institutum. Probatur. In Lege Naturæ, priusquam existeret Lex Scripta Moyfis, dabatur Sacramentum pro Masculis, ad delendum peccatum originale: atqui illud Sacramentum (de quo non constat quale fuerit) cessavit apud populum Israeliticum, quando fuit instituta Circumcisio, & tamen adhuc durabat Lex Naturæ quadringentis fere annis. Item Circumcisio non incepit cum Lege Naturæ: ergo vera est conclusio.

467. DICO 2. Aliqua tamen stabilitas omnino requiritur ad rationem Sacramenti. Colligitur ex communi DD. consensu, aliquam stabilitatem requirentium: ergo signum est, quod primi usurpatores vocis Sacramenti in sensu dogmatico, non minùs ad hoc prædicatum respuerint, quàm ad rationem Symboli.

Confirmatur argumento Scoti. Sacramenta sunt instituta ad consignandum populum Deo, eumque in exteriori ritu, & cultu ab alijs sectis distinguendum: ergo debet habere aliquam stabilitatem, saltem ad aliquod notabile tempus, ut rem ponderanti facile innotescet: sed in re non magni momenti non est cur immoremur.



CON-

CONTROVERSIA III.

*Vtrum Sacramenta Novæ & Antiquæ
Legis convenient Vnivoce, possint
que Vnâ Definitione commodè Defi-
niri.*

468. **N**otandum est 1. tō *Vnivoce*, non accipi hic in sensu strictissimo, quo multi volunt, *Ens*, non esse univocum Deo & creaturis, Substantiæ & accidenti; si enim Sacramenta novæ legis cum antiquæ legis Sacramentis convenirent in conceptu Sacramenti, sicut in ratione & conceptu Entis convenit Substantia & Accidens, sive deinde ratio Entis dicatur imitari sive non imitari in differentiis Substantiæ & Accidentis, hoc inquam in præfenti sufficeret, ut omnes dicerent, posse illa unâ definitione definiri, sicut conceptus Entis habet suam commodam definitionem.

469. Accipitur ergo hic *Vnivocum*, pro conceptu universalis, abstrahente ab interioribus, quæ non discernit ab invicem, & exprimente aliquam rationem, quæ propriè omnibus & solis inferioribus conveniat, & uno nomine significetur. Hinc è contratio illa dicuntur tantum analogicè convenire, quæ non habent huiusmodi conceptum communem, sed in significato nominis communis partim conveniunt partim differunt, ita quidem, ut quando ipsum nomen applicatur analogatis, formetur alius & alius conceptus, qui exprimat non solum convenientiam, sed etiam differentiam analogorum; quando autem in genere profertur, soleat de una tantum specie analogatorum, & quidem de nobiliore & principaliore intelligi. Huiusmodi analogorum duo sunt genera, nimirum Analoga Proportionis, & Attributionis: prioris generis exemplum est *Risus*: nam hæc vox in genere prolata, intelligitur de Risu Vitali: ad hunc enim significandum est primò impositum: dicitur autem Analogicè de Risu vitali & viriditate seu amantitate pratorum; & quando dicitur; *Prata vident*, exprimitur in conceptu prædicati ipsa Differentia inter unum & alterum Risum, quo modo non exprimitur differentia accidentis & substantiæ, quando dicitur: *Accidens est Ens*. Hoc genus Analogorum non facit ad præsentem questionem. Alterius ergo generis, nempe Analogorum Attributionis exemplum vulgare est *Sanum*, & *Sanitas*. Vox *Sanum* enim non est principaliter imposita ad significandum aliquod prædicatum commune omnibus, quæ quomodocunque dicuntur *Sana*, sed est principaliter imposita ad significandum animal habens sanitatem sibi intrinsicam. Item vox *Sanitas* principaliter significat formam dominantem animal intrinsicè sanum, nempe rectam Temperiem: secundariò verò & minus principaliter nomen *Sanum* est applicatum Medicinæ, cibo, vrinæ, & alijs huiusmodi: hæc, inquam,

dicuntur *Sana* non quidem merè metaphorice, sicut Viriditas prædicatur *Risui*, sed propter eandem aliquam habitudinem ad Veram Sanitatem animalis, tanquam illius causa vel effectus. Hinc ergo vox *Sanum*, dicitur esse Analogum, quia analogata partim conveniunt, partim differunt: conveniunt in termino, scilicet Sanitate, differunt in Habitudine seu connexione cum illa: quando Animal dicitur *Sanum*, concipitur ex parte ipsa differentia, quia concipitur *Sanum* ut forma intrinseca animali: quando verò *Vna* dicitur *sana*, concipitur sanitas ut causa exterioris: & quando cibus dicitur *sanus*, concipitur sanitas ut effectus cibi. De hoc igitur genere Analogiæ dubitatur, an reperiatur in nominibus Sacramenti respectu Veterum & Novorum Sacramentorum. In qua questione

Communis Sententia vult convenire *Vnivoce*, in quem finem plurimæ definitiones recogitatae sunt, quarum præcipuas referemus.

S. I.

Rejiciuntur Variæ Definitiones Sacramentorum in Genere.

470. **P**rima definitio refertur ex Magistro sententiarum in 4. dist. 1. *Sacramentum est Ritus significativus*. Ex dictis constat esse mancam. Nam enim exprimit prædicatum *Causa significans*, neque etiam satis exprimit rem significandam, nempe veram sanctitatem: ac denique multis convenit, quæ non sunt Sacramenta, ut patebit.

471. Secunda definitio colligitur ex Suarez, & amplectitur eam Canus, alijque. *Sacramentum est Ritus seu Cereemonia significans veram sanctitatem*, & præterea aliquam habitudinem sanctificans. Habet hæc definitio contra se tres instantias: convenit enim Vnctioni Baptismali, vñi salis & salivæ, primæ tonsuræ, abolutioni à censuris, Benedictioni Abbatis &c. nam hæc omnia imprimis veram sanctitatem aliquo modo significant, non minus quàm Sacramenta veteris legis, & non minus etiam aliquam etiam sanctitatem conferunt.

Dices: hæc omnia possunt à ratione Sacramenti excludi, si dicatur ad Sacramentum requiri, ut sit à Deo immediatè institutum, & aliquid ab Humana potestate nunquam abrogabile aut mutabile: omnia verò allata sunt immediatè instituta à potestate Humana, nempe ab Ecclesiâ, & possent vel Abrogari, vel Mutari. Sed hoc effugium parum juvat adversarios, qui in definitione hoc non requirunt, & merito non requirunt, quia non est adeo certum, quod hoc ad conceptum Sacramenti requiratur: nam hoc arguit ipse Suarez d. 1. f. 2. §. *Dices hæc omnia*.

Impugnatur ulterius allata definitio, argumento quod inferius contra definitionem P. C. nink movebimus, illud enim fortius pugnat contra hanc definitionem.

472. Tertia Definitio est P. Dicastillo. *Sacramentum est Signum sacrum, sensibile, practicum rei sacre, Sanctificantis homines ex Dei institutione.* Rejicitur ex jam dictis. Vel enim per Rem sanctificantem, intelligis Sanctificationem qualemcumque, sive propriè sive impropriè talem, vel intelligis tantum Veram & propriè dictam. Si primum, tunc transmittendo pro nunc (de quo infra) posse talem conceptum præcisivum fieri (quod tamen negat ipse Dicastillo) hac ratione non exprimitur in definitione præcipuum prædicatum Sacramenti, nempe quod sit Signum veræ Sanctitatis in specie. Si verò dicas Secundum, jam hæc definitio non convenit Sacramentis antiquæ legis; nam ipse Dicastillo contra Card. de Lugo docet, Sacramenta antiquæ legis nullo modo fuisse causas seu Signa practica veræ Sanctitatis.

473. Quarta definitio est Card. Pallavicini: *Sacramentum est Signum continens humanas Cereemonias, à Deo per hominem exhibitum, veræ sanctitatis alicui conferendæ & ad veram sanctificationem suo usu saltem disponens.* Explicat auctor definitionem, & docet, Sacramentum debere imprimis infallibiliter Significare, saltem speculativè, veram Sanctitatem alicui (sive suscipienti, sive alteri) conferendam; & hoc habebant etiam Sacramenta Veteris Legis; Significabant enim tanquam locutiones & promissiones Dei, veram Sanctitatem, conferendam ijs quibus merita Christi applicarentur. Vtremque debet Sacramentum suo usu saltem disponere (non tamen infallibiliter) ad veram sanctitatem, quod faciebant etiam Sacramenta veteris legis per sanctitatem legalem.

474. Contra hanc definitionem occurrit primò. Aliqua Sacramenta antiquæ legis adeo remotè disponebant ad sanctificationem suscipientis, ut non mererentur nomen dispositionis: v. g. Rasio pilorum, Lotio manuum & pedum: imò hæc potius præsupponebant dispositionem, nempe Actum Fidei ex quo procedebant; quomodo autem ipsæ Cereemoniæ ulterius disposuerint ad justificationem, ego non video, nec auctor explicat hunc modum disponendi, quod tamen esset necessarium, ut Sacramentum à non Sacramento discerni posset.

Contra 2. Non apparet, per quam particulam excludantur illa exempla, quæ contra definitionem Suarezij obijciuntur: nam & illa Significant Sanctitatem alicui conferendam, & ad sanctificationem multò melius disponunt, quàm Sacramenta veteris legis.

Contra 3. & fortius vrget instantia, quam ipse Pallavicinus advertit, & solvere conatur. Sacrificium Novæ Legis, quæ tale, non est Sacramentum, & tamen videtur illi etiam quæ tali competere tota definitio.

475. Responder Auctor n. 103. Sacrificium excludi à ratione Sacramenti, quia non significat infallibiliter Sanctitatem Conferendam, sed Collatam. posset enim, inquit, offerri in fine Mundi, quo tempore Deus nullam esset sanctitatem am-

plius collaturus. Sed contra hanc responsionem est primò. Quia non requiritur ad rationem Sacramenti, ut simpliciter & absolute infallibiliter significet Gratiâ conferendam in posteriore tempore, sed solum conditionatè, si nempe pro posteriori tempore alicui applicentur merita Christi. Ponamus enim in ultimo instanti Mundi absolvi formam Consecrationis, ita ut à nemine sit sumenda illa hostia, nunquid fieret Sacramentum? & tamen non significaret absolute infallibiliter Gratiâ in posteriore tempore, imò ne quidem pro posteriori Natura conferendam, sed tantum conditionatè: Si ab aliquo ritè acciperetur: ergo hoc sufficit ad rationem Sacramenti: atqui hoc modo etiam significaret Sacrificium in fine Mundi oblatum: ergo etiam tali Sacrificio conveniret definitio Pallavicini.

476. Confirmatur 1. Sacrificium completum includit ipsam Sumptionem Specierum consecratarum, tanquam partem constitutivam, ut habet verior sententia: si ergo ille Sacerdos consecrans in fine Mundi, esset in gratia Dei, acciperet Gratiâ augmentum, non quidem quæ causaretur ab illo sacrificio ut sacrificium est, sed tamen quæ ab illo sacrificio ut sacrificio Significaretur: significaret enim omnem Gratiâ quæ unquam collata vel conferenda esset propter meritum Passionis & Sacrificij cruenti: ergo jam Significaret Gratiâ conferendam non minus quàm alia Sacramenta, nam hæc etiam non significant aliter, quàm in subjecto bene disposito.

Confirmatur 2. Sicut illud ultimum Sacrificium Significaret gratiam collatam, ita econtra Sacrificium quod Christus obtulit in ultima Cæna, ante ipsum Sacrificium cruentum, significavit Gratiâ ut conferendam per Passionem & Sacramenta: ergo saltem illud Sacrificium, ut Sacrificium, fuisse Sacramentum. Hinc rectè dixit Card. de Lugo n. 14. Sacrificio Missæ non deesse sufficientem Significationem requisitam ad Sacramentum, sed solum deesse vim causandi.

477. Contra definitionem argumentor 4. Quando requiris, ut Sacramentum sit ad veram Sanctitatem saltem disponens, quomodo accipis rō saltem disponens? Nam rō saltem potest duplicem sensum habere, primò quidem sensum determinatum, ita ut determinatè necesse sit disponere, & non sufficiat causare Gratiâ immediatè, si nullam causet præviâ dispositionem, sicut si quis diceret: ad hoc ut homo vivat, debet saltem comedere: sensus esset, quòd non sufficeret Bibere, sed requiratur Comestio in specie. si hoc sensu intelligas, est doctrina falsa. Nam Sacramenta novæ legis nullam causant præviâ dispositionem ex essentia sua, & per se, sed immediatè causant Gratiâ. Secundus sensus potest esse disjunctivus, nimirum, ut vel ipsam Gratiâ, vel saltem dispositionem ad illam causet. ut si dicerem: ut quis non nobilis possit fieri Canonicus, debet saltem esse Doctor Canonum: est sensus disjunctivus; vel Theologiæ, vel Canonum.

num. Hoc autem sensu definitio non est Univoca & accurata, qualis hic investigatur an dari possit, quia fit per membra disjunctiva, & hac ratione facile potest dari definitio Analoga Sacramentorum (qualem infra dabimus) & præterea hac ratione non excluduntur illa quæ Suarezij definitioni obijciuntur, quia etiam illa disponunt ad Gratiā.

§. II.

Examinatur definitio Cardinalis de Lugo.

478. **Q**ui Sacramentum in genere sic definit. *Est Cereemonia sensibilis, quæ suo usu sanctificando subiectum, significat Gratiā internā, cuius est causa.* Pro stabilienda definitione supponit 1. *Quod Sanctificare, esse conceptum Univocum, abstrahentem à sanctitate perfectā & imperfectā, seu internā & externā, quod nos infra negabimus.*

Docet 2. De ratione Sacramenti non solum esse, ut significet quomodocunque Gratiā sanctificantem, sed insuper requiri, ut eam causet in aliquo supposito, sive in recipiente, sive in alio, sive de præsentī, sive de futuro.

Docet 3. Sacramenta veteris legis verè causasse Gratiā Sanctificantem, non quidem in suscipiente, sicut Sacramenta novæ legis, sed tamen in alio, nempe in illis, qui postmodum in nova lege acceperunt, & adhuc accipiunt Gratiā sanctificantem ex meritis Christi. Probat. Sacramenta Veteris Legis fuerunt promissiones, imò Repromissiones Christi & Gratiæ per merita Christi conferendæ: atqui omnis promissio movet objectivè ad præstandum promissum, & sic est causa promissi. Porro, quando Sacramenta veteris legis vocantur Repromissiones ad Hebr. 6. 8. 11. interpretatur Lugo, quod idem sit, ac: Iteratæ promissiones, toties quoties v. g. fuit infans circumciscus, à quibus omnibus nunc movetur Deus ad conferendam gratiā ijs, quibus applicantur merita Christi. Supponit itaque Lugo, in Deo dari duo Decreta, vnum promissionis, alterum reflexum, cuius motivum sit præcedens promissio; quod cum alibi rejecerimus, nunc tamen in præsentī possumus ab hoc præscindere, & hanc multiplicationem Decretorum permittere.

479. **D**ICO cum cæteris Theologis, Sacramenta veteris legis non fuisse causas Gratiæ sanctificantis, conferendæ in nova lege. Probat 1. Auctoritate Concilij Florentini. Nam in Decreto fidei, post sessionem ultimā, expressè definitur, Sacramenta novæ Legis multum differre à Sacramentis antiquæ legis, hæc enim non causabant Gratiā, sed solum NB. per passionem Christi dandam figurabant: nostra verò Sacramenta & continent gratiā, & dignè suscipientibus eam conferunt. Ex quibus verbis, quæ per se satis clara sunt, formatur hoc argumentum. Ex mente Concilij minus est, Figurare Gratiā, quàm

causare: ergo Sacramenta veteris legis Gratiā quam figurabant, non causabant. Sed figurabant Gratiā dandam in nova lege; ergo hæc non causabant. Prima consequentia probatur. Si Gratiā quam figurabant, causassent, illi dicerentur, tantum figurasse: qui enim fecit ut quod est plus, malè dicitur fecisse tantum ut quod est minus: atqui Concilium dicit, tantum figurasse: ergo ex mente Concilij non causabant. Econtra ex mente Lugonis causantur: ergo ex mente illius non solum figurantur, quod tantum dicit Florentinum.

480. Confirmatur. Intentio Concilij declarare præstantiam Sacramentorum novæ Legis, & vilitatem Sacramentorum veteris legis, comparatur cum prioribus, quæ vilitas consistit in hoc, quod non causaverint Gratiā Sanctificantem. Non potest autem hæc vilitas præstari in eo consistere, quod non causaverint Gratiā in suscipientibus illa Sacramenta, per hoc enim non vilescunt absolute illa vetera Sacramenta: vilescunt quidem apud illos, qui in veteri lege ea receperunt, quatenus pluris æstimata fuissent, si etiam suscipientibus ex opere operato gratiā contulissent, verum in æstimatione nostra, qui vivimus in nova lege, non vilescerent, si esset causa omnium nostrarum Gratiarum, imò, vult Lugo, nostrorum Sacramentorum omnium, sicut ex eo, quod merita Christi sint causa novæ & præterita nostrorum meritum, quæ deinde in nobis immediatè causant gratiā sanctificantem, non propterea vilescunt, aut minoris haberi debent, quàm nostra merita.

481. Probat Conclusio 2. Auctoritate Catechismi Romani, jussu Pontificis editi. *Quod de Sacramentis antiquis hæc habentur §. ex signatur. [Quare ut signa tantum NB. eorum rationem, quæ Mysterijs nostris efficienda erant, instituta sunt.] Ecce: ex communi sensu Ecclesiæ erant tantum signa, & non causa eorum rerum & gratiarum, quæ in nova lege conferenda erant.*

482. Probat Conclusio 3. Ratione simul, & auctoritate S. Thomæ. In Sententiis Lugonis Sacramenta veteris legis habuissent vim causandi Gratiā ex meritis Christi, pro præterita Natura præsuppositis: sed hoc negat expresse S. Thomas 3. p. q. 62. a. 6. in C. [Illud, inquit, quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exteriorum rerum. Unde causa efficiens non potest esse posterior in esse rebus durationis, sicut causa finalis. Sic ergo manifestum est, quod à Passione Christi, quæ est causa humanæ justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa ad Sacramenta novæ legis, non autem ad Sacramenta veteris legis.]

483. Obijciunt. Omnis promissio est causa rei promissæ. Sacramenta antiquæ legis fuerunt promissiones Gratiæ sanctificantis, conferendæ in nova lege, ergo fuerunt, & adhuc sunt causæ illius. Confirmatur ex S. Augustino de

cente scriptis, Sacramenta veteris legis fuisse promissiva Christi. *Re. 1.* Negando maiorem, quam debet negare ipse Lugo: docet enim, quod Christus praetulerit pro priori naturae ad Sacramenta antiquae legis, quae per sua merita obtinuit: unde facitur, quod licet illa ipsa Sacramenta fuerint etiam promissio Christi, non minus quam Gratia, quod inquam nihilominus non fuerint causa existentiae Christi: quia non est necesse, quod promissio semper sit causa rei promissae, sed satis est, quod, quantum est ex se, obliget ad praestandum promissum. Neque enim necesse est, ut promissum moveatur à sua promissione, sed satis est, si ponat ipsam rem promissam.

Re. 2. Negando minorem. Et sanè Card. de Lugo non rectè interpretatur textus illos, quibus Sacramenta veteris legis vocantur Repromissiones, quasi essent Iterata & Reperita promissiones. Non enim est hæc significatio illius vocis *Repromissio*. Nam ut in Calepino videre licet, & passim apud Juristas in usu est, Repromissio significat mutuam & reciprocam promissionem, sicut *Reconventio* significat Reciprocam Conventionem: dicitur autem Reciproca Promissio fieri, non solum quando alteri promittenti aliquid in vicem repromittimus, sed etiam quando promissio est Antidotalis, seu Remuneratoria alicujus obsequij præstiti, quales fuerunt Promissiones factæ antiquis Patribus. Eodem modo sponsalia vocantur Repromissio *L. 1. ff. de Sponsalibus*. Itaque ex S. Paulo non rectè probatur, singula antiqua Sacramenta fuisse Promissiones, sed ad summum ipsam primam Institutionem illorum fuisse Reciprocam promissionem. Ergo, etiamsi daretur, quod omnis promissio esset causa rei promissae, non propterea sequeretur, omnia & singula Sacramenta antiqua fuisse causam Gratiae promissae.

484. Ad auctoritatem S. Augustini responderetur, Sacramenta antiquae legis ab eodem Augustino lib. 19. contra Faustum, vocari *Nuntiatiua*, & rerum nondum impletarum figuras, & à Concilijs vocari *Signa tantum*, hoc est mera Signa. Porò Signa promissionis factæ, optimè possunt vocari Promissio, licet re ipsa non sint Promissio formalis; sicut imago Cæsaris vocatur Cæsar, & sicut Chyroglyphum vocatur à Legibus & Jureconsultis, *Obligatio*, licet formaliter non sit Obligatio, sed Signum factæ Obligationis; & sicut, qui exhibet Debitori Chyroglyphum, dicitur quidem exhibere obligationem, non tamen dicitur de novo obligare, sed tantum exhibere signum factæ obligationis, ita Deus per Sacramenta tantquam Signa voluit in memoriam revocare Israelitis factam promissionem mittendi Christum.

Confirmatur hoc ex Epist. ad Galat. 3. vbi S. Paulus contra Judaizantes disputans, ac valde commendans promissiones factas Abraham, concludit in hunc modum. Si ex lege hæreditas, jam non ex promissione: atqui (subsumit S. Paulus) hæreditas est ex promissione: ergo non

est ex lege. Ex quo sic argumentor. Si lex Mosaica de Sacramentis, & innumeræ illius Cæremoniae, fuissent promissiones formales venturi Christi, non minus quam fuit promissio facta Abrahamo, tunc mala esset consequentia S. Pauli, quod si hæreditas esset ex lege, hoc est ex observantia legis, jam non esset ex promissione. Potuissent enim Judaizantes respondere, negando consequentiam: adhuc enim esset hæreditas ex promissione, imò ex innumeris iteratis promissionibus, quia ipsa lex, hoc est observatio legis, quoad maximam suam partem esset promissio. Dicendum ergo est, Sacramenta veteris legis non fuisse promissiones formaliter, sed tantum figuratè & presuppositivè.

485. Denique ex Tract. præcedente de Incarnatione cap. 1. contr. 4. §. 3. constat, quomodo Promissiones divinae sint intelligendæ & explicandæ absque eo, quod objectivè moveant Deum ad volendum præstare rem promissam, hoc enim esse impossibile ostensum est tum loco cit. tum in primo libro de simplicitate Decretorum Divinorum.

486. Ex his quæ contra definitionem Lugo nis attulimus, rejicienda etiam est definitio P. Arriagæ quæ sic se habet. *Sacramentum est Cæremonia Sacra, Sensibilis, stabilis, in pignus Gratiae instituta.* Per *Pignus* ait se nihil aliud intelligere quam Promissiones, sicut Lugo, nisi quod nolit semper eas esse causas rei promissae.

§. III.

Examinatur definitio P. Aegidij Conink.

487. EX doctrina & mente P. Conink a. 4. dub. 4. aliquando mihi præ cæteris placuit hæc definitio, (nec credo posse meliorem dari) *Sacramentum est Signum Sacrum, sensibile, ac stabile, ex sui institutione veram sanctitatem significans, & Ecclesiae ad quam pertinet, ratione suæ perfectionis vel imperfectionis quam illa habet, proportionatam sanctitatem suo usu conferens.* In hac definitione pro prædicatione differentiali ponitur hoc totum: *Causare sanctitatem statui Ecclesiae ad quam pertinet, secundum perfectionem aut imperfectionem illius proportionatam.* Hæc enim in eum finem adduntur, ut à ratione Sacramenti excludantur illa, quæ non excluduntur per definitionem Suarezij & aliorum. Itaque prima tonsura v. g. ideo non est Sacramentum, quia licet causet aliquam imperfectam Sanctitatem, quatenus destinatur ad Sacramentum Ordinis, & constituit Personam Clericalem, hæc tamen Sanctitas non est illa, quæ est proportionata novæ legi, in qua est Tonsura, utpote quæ est Lex Gratiae antonomastice sumptæ, adeoque cui quoad suam perfectionem est proportionata Gratia sanctificans, & nulla alia.

Hanc proportionem Sacramentorum cum statu Ecclesiae, secundum perfectionem & imperfectionem ad quam pertinebant, explicui vterius,

observando, inter utramque Ecclesiam discrimen maximum fuisse, propter quod Lex Vetus dicebatur & erat Imperfecta, nova verò Perfecta: Lex Vetus plurimum gravabat suos, & ideo vocatur ab Apostolo Jugum importabile, & comparatur ex Vxoribus Abrahami Ancillæ, vocaturque Lex Servitutis, abroganda per legem meliorem. Imò quid illa Ecclesia habuit donorum supernaturalium, omnia intuitu legis novæ futuræ consecrata est, cujus caput esset futurus Christus, summus Sacerdos, & fons omnium Gratiarum, & ideo Lex nova vocatur Lex Gratiæ, & comparatur Vxori Liberæ. Hinc autem consequitur, veram sanctitatem esse proportionatam novæ legi, utpote habenti caput omnis Gratiæ, & potestatem conferendi Gratiarum sanctificantem ex sua perfectione, & non Beneficio alterius Ecclesiæ. Econtra sanctitas Legalis erat proportionata Antiquæ Legi, quia sicut ipsa fuit Sanctitas imperfecta, & mera Figura seu Umbra veræ Sanctitatis, ita potestas hujusmodi Sanctitatem & non majorem conferendi per Sacramenta antiquæ Legis, erat imperfecta, præsertim quatenus erat conjuncta cum durissimis alijs legibus. His observatis

488. DICO 1. Allatam definitionem, eatenus, quatenus possunt Analoga definiri secundum convenientiam in prædicato Analogò, esse Bonam. Parer ex illius declaratione data, & danda in solutione objectionum.

Obijcies ergo 1. Per hanc definitionem non excluduntur à ratione Sacramenti prima Tonsura, Benedictio Abbatis, Absolutio à Censuris &c. quia hæc causant aliquam Sanctitatem, saltem antiquæ legi proportionatam. R. facile, negando sequelam. Nam hæc non causant Sanctitatem proportionatam Ecclesiæ nostræ, ad quam illa Cæremoniæ pertinent, huic enim Ecclesiæ, ratione suæ perfectionis, non est proportionata sanctitas merè externa, ut paulò antè ostendi, sed sola interna & perfecta, hanc autem Cæremoniæ illæ non causant. Itaque ad rationem Sacramenti non sufficit, causare aliquam Sanctitatem alicui Ecclesiæ cuiusvis proportionatam, sed: proportionatam illi, ad quam tales Cæremoniæ spectant.

Obijcies 2. Ergo priusquam aliquis scire possit, utrum hæc vel illa Cæremonia sit Sacramentum, debet prius cognoscere, ad quam Ecclesiam spectet, & qualem gratiam causset. R. Concedendo totum, nec video, quid hic admirabilitatis subsit.

489. Obijcies 3. Ex nostra doctrina sequitur, in ratione Sacramenti includi totam legem Mosaicam, tanquam partem constitutivam. Probatur sequela. Nam Lex Mosaicæ est terminus relationis & pertinentiæ Sacramentorum antiquæ Legis, inclusæ in conceptu Sacramenti. R. 1. Hoc ipsis oppugnantibus solvendum esse, qui docent, Sacramenta debere esse Cæremonias stabiles, discretivas unius populi ab alio: ergo vel habent has denominationes ab ipsa Ecclesia ad quam pertinent, vel quidquid ipsi assignave-

runt, nos quoque assignare poterimus. R. 2. Distinguendo sequelam: includit illam in oblatione, in recto, negatur, hoc autem non est magis absurdum, quam quod denominatio, ego denominor, Pars Vniuersi, includat in oblatione totum Vniuersum. Responderi possit: Negando sequelam: dici enim posset, quod in oblatione includat solum Decretum Dei, infirmam talem Cæremoniam pro tali Ecclesiæ, quod Decretum essentialiter respicit & est connexum tali Ecclesiæ, & ideo non erit necesse ipsam Ecclesiam includere tanquam partem constitutivam, sed solum tanquam connotatum.

490. Obijcies 4. Non apparet, quando per nostram definitionem excludatur Sacramentum Baptismus Joannis. Quæro ex antecedentibus, pertinueritne Baptismus Joannis ad antiquam ad novam legem? Si dicant, pertinuisse ad antiquam legem, tunc iterum quæro, utrum habeant, quod non fuerit Sacramentum? Censuræ Sententiarum & multi Scholastici, sicut S. Thomas in 4. dist. 2. q. vn. a. 3. dicunt, Sacramentum, teste Bellarmino. Sed S. Thomas Sententiam mutavit in 3. p. q. 8. a. 2. docens, Baptismus Joannis non fuisse Sacramentum, quia non ad veterem legem, sed ad novam pertinebat, tanquam præparatio ad formam. Hæc supposito, negatur fuisse Sacramentum, quoniam causabat Sanctitatem proportionatam illi Ecclesiæ & Ecclesiæ ad quam pertinebat.

491. Obijcerunt denique aliqui, hanc definitionem esse longiusculam. R. Hoc non esse novum in definitionibus Entium analogarum, quale est Sacramentum. Quod si quædam longiorem desideret, eam exhibebit P. Antonius Perez, & est hæc. Sacramentum est signum legitimum Republicæ sacre, humane, perfectæ & imperfectæ, designativum pro ea persone humane, tæ sacre, significans se habere virtutem donandi hæc designationem Gratiæ, vel donatione de præfati operato, aut donatione futura præfigurativè præfati exhibitum à Deo loquente & pacificante cum homine per hominem humano modo.

S. IV.

Sacramenta Veteris & Novæ Legis non sunt Analogicè convenire concluditur.

492. Ita sentit M. Sententiarum, Bonavent. tractatus in 4. dist. 1. quibus adhæret S. Thomas ead. dist. q. 1. a. 1. quasiunc. 3. ad 1. his verbis [Dicendum, quod Sacramentum non dicitur per Sacramenta veteris & novæ legis, sicut genus per species, sed sicut Analogum in suas partes sanum in habens sanitatem, & significans ens Sacramentum autem simpliciter est, quod causat Sanctitatem: quod autem significat tantum, non est Sacramentum nisi secundum quid, & debet esse causam, potest poni in definitione Sacramentorum, sicut habens sanitatem in definitione sanorum.] Ecce! quàm clare doceat S. D. definitionem univocam per, *Essè causam veram Sanctitatis*.

non convenire nisi Sacramentis simpliciter dictis, hoc est Novæ Legis : Sacramenta autem veteris legis, quia tantum eam Sanctitatem significabant, esse tantum Sacramenta secundum quid, seu per attributionem ad Sacramenta simpliciter dicta, hoc est, novæ legis. Id ipsum clarissime tradit hic g. 62. a. 1. ad. 1. dicens [Sacramenta novæ legis simul sunt Causa & Signa, & ideo est, quod, sicut communiter dicitur, efficiunt quod Figurant. Ex quo etiam patet, quod habent perfectè rationem Sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacrum, non solum per modum Signi, sed etiam per modum causæ.] Consentit reipla Vasquez dum fatetur c. 5. n. 47. quod si semel statuat, de conceptu Sacramenti esse, quod in suscipiente causet aliquam Sanctitatem, necessariò sequatur, Sacramenta novæ & antiquæ legis tantum analogicè convenire : atqui nos cum ceteris DD. hoc requirimus ad rationem Sacramenti, ergo nobis dicendum, etiam consentiente Vasquez, ea tantum Analogicè convenire. Eandem sententiam sequitur Becanus q. 3. n. 10. Recentissimè eam defendunt P. Elparza & Comptonus.

493. Probatur Conclusio. Causare Sanctitatem, est prædicatum essentiale & differentiale Sacramenti à non Sacramentis : sed hoc prædicatum non convenit univocè Sacramentis Antiquæ & Novæ legis : ergo non conveniunt univocè. Majorem concedunt adversarij, & suprà probata est. Minor est probanda. Sanctitas Legalis, causata ab antiquis Sacramentis in suscipiente, & vera sanctitas animæ, quæ causatur à Sacramentis Novæ Legis in suscipiente, non conveniunt univocè, ergo esse causam harum sanctitatum, non est prædicatum univocum.

494. Ad hoc Argumentum communiter negant consequentiam probationis, & quidem P. Dicastillo existimat, se in hoc argumento deprehendisse ingentem deceptionem, quæ in hoc consistit, quod quaeratur univocatio in Termino, ad quem res aliquæ ordinantur, nempe in Sanctitate, ad quam Sacramenta tanquam causa ordinantur, ut sit etiam univocatio in rebus sic ordinatis, vel in ordine ipsarum ad terminum : hoc, inquam, existimat Dicastillo falsum esse, quia potest terminus esse analogus, & tamen res ordinata ad illos terminos analogicos, esse univocæ : ergo quamvis verum sit, sanctitatem antiquæ & novæ legis tantum Analogicè convenire, adhuc vis causandi illas Analogicas Sanctitates, poterit esse univoca. Declarat hoc exemplis. Actio est prædicatum univocum, & commune actioni tam substantiali quam accidentali, tamen substantia & accidens analogicè conveniunt. Item Relatio est prædicatum univocum, & commune relationibus, ad terminos etiam genere diversos. Alijs exemplis vitit P. Conink. Ritus plantæ & hominis sunt analogicè Ritus, vita tamen, quæ utriusque Ritus causa est, est univocè vita. Lupus Terrestris & Marinus sunt æquivocè lupi, & tamen Deus est univocè creator utriusque.

495. Verum hæc omnia sunt abs re, & argumentum non solvunt, ut agnoscunt Lugo & Arriaga. Concedimus vltro, Sacramenta antiquæ & novæ legis convenire univocè in conceptu Causæ Generico, de hoc non est difficultas, & hoc solum probant exempla allata : sed questio est, an conveniant univocè in conceptu Differentiali Sacramentorum à Non Sacramentis, qui est : Sanctificare, seu causare sanctitatem, sub explicito conceptu Sanctitatis ut termini. Nec enim Essentia Sacramenti consistit adæquatè in qualicunque conceptu generico Signi & Causæ, sed in conceptu explicito Sanctificantis : ergo si prædicatum Sanctitas non est univocum, impossibile est prædicatum Sanctificans esse univocum.

496. Ut autem ad exempla allata in specie respondeamus. Ad. 1. Transeat, Ens esse Analogum ad substantiam & accedens, Actio tamen ut sic non respicit rationem Entis ut sic (alioquin etiam respiceret Deum ut terminum producendum) sed respicit rationem Producibilis, seu Creature, hæc autem est univoca Substantiæ & Accidenti, non enim imbibitur Producibilitas in differentia Perseitatis, sicut ratio Entis. Ceterum mihi longè verior est sententia, Ens esse Univocum, prout Univocum opponitur Analogi attributionis, ut suprà declaratum est, de quo Logici.

Ad alterum exemplum de Relatione, & Terminis relationum quantumvis genere diversos quoad suas Entitates, convenire tamen univocè in ratione communi Termini, & sub hac ratione definitur Relatio per ordinem ad terminum : non est ergo paritas cum nostro casu. nam ut esset paritas, deberent ipsæ Sanctitates convenire univocè in prædicato significato & expresse per nomen Sanctitas, quod explicitè respicitur à prædicato, Causans Sanctitatem.

Ad. 3. & Ritus prati & Ritus hominis, convenire quidem univocè in hoc, quod uterque sit effectus vitalis, seu procedens à substantia vivente : verum hoc prædicatum : esse effectum substantiæ viventis in genere, non exprimitur per vocem : Ritus. Hæc enim propriè non significat nisi effectum admirationis in homine, & ideo de Ritu prati tantum dicitur analogicè : pari modo vox Sanctitas, propriè tantum significat veram animæ Sanctitatem, & ideo de Sanctitate legali tantum dicitur Analogicè : Eadem responsio datur ad exemplum de Cane. nam vox Canis, non est imposita ad significandum in genere Effectum creatum à Deo. Ex quibus apparet, quod etiam si vera Sanctitas & Legalis Sanctitas in aliquo prædicato univocè conveniant, hoc tamen non sufficiat, ut vox Sanctitas, aut Sacramentum, sint voces univocæ. quia ad univocationem requiritur, ut illa ratio communis in qua conveniunt, per tale nomen primariò & ex institutione sua significetur : atqui nullum hujusmodi prædicatum potest assignari, quod per nomen Sanctitas significetur. Ergo &c.

Z z z 3

CAPVT



CAPVT II.

DE MATERIA ET FORMA
SACRAMENTORVM NOVE LEGIS.

CONTROVERSIA I.

An, & quo sensu singula Sacramenta constent Rebus tanquam Materia,
& Verbis tanquam Formâ.

497. **P**rocedit hæc Controversia solùm de Sacramentis Novæ Legis, de quibus Eugenius Papa in Decreto Unionis, quod exstat in Concilio Florentino, enumeratis septem Sacramentis, ita decernit. [Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet Rebus tanquam Materiâ, Verbis tanquam Formâ, & Personâ Ministri, conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; horum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.] Deinde singulorum Sacramentorum (excepto Matrimonio) enumerat Materiam & Formam: in qua tamen enumeratione non observat Pontifex eandem usurpationem Materiæ, prout jam in scholis distinctius accipitur: alia enim est apud Theologos Materia ex qua constat Sacramentum, & alia circa quam versatur actio Sacramentalis, & ideo illa prior vocatur Materia *Ex qua*, hæc verò Materia *Circa quam*. sic Panis & Vinum secundum substantiam est in Sacramento Eucharistiæ Materia *circa quam*, non item *ex qua*, quia cum per consecrationem destruaturs substantia panis & vini, non potest secundum actualem existentiam esse Materia ex qua constet Sacramentum. Dixi: *secundum actualem existentiam*: quia dubium est, an saltem sit pars constitutiva Sacramenti in alio sensu, nempe, secundum statum præteritum, de quo suo loco. Idem dicendum de peccatis respectu Sacramenti Pœnitentiæ.

498. Materia *ex qua*, subdividitur in Remotam, & Proximam. v. g. in Sacramento Baptismi Materia Remota est Aqua, proxima est Ablutio. Eugenius Papa quandoque facit mentionem Materiæ remotæ & non proximæ, vt in Baptismo assignat Aquam, in Confirmatione Chrisma, in Extrema Vnctione Oleum, in Sacramento Ordinis Calicem cum Vino & Patenam cum pane &c. In Sacramento Pœnitentiæ verò solùm refert Materiam proximam, eamque vocat, *Quasi Materiam*, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. in Eucharistia solam Materiam Re-

motam *circa quam*, Panem & Vinum. Ratio assignandi legitima hæc fuisse mihi videtur. Quæ illas solùm materias oportebat referre, circa quas vel defacto errabant hæretici aut Schismatici, vel saltem poterat esse periculum errandi: æquum Baptismo & Confirmatione non erat periculum errandi circa Materiam proximam: ad quid enim aqua adhiberetur nisi ad abludendum? ad quid Chrisma nisi ad vngendum? In Eucharistia verò quod attinet ad materiam proximam, nempe species seu accidentia panis, & ipsum corpus Christi, hæc inquam statim infra explicavit Pontifex, quamvis non vocaverit Materiam. Denique aliorum Sacramentorum Materia proxima satis superque exprimitur indirectè in ipsorum verborum, (quam ubique Pontifex rectè statuit etiam Materia Remota Sacramenti Pœnitentiæ, nempe peccata. Accusatio enim & Poenitentia, proponunt culpam. Ergo omnem Materiam Pontifex sufficienter indicavit quoad sex Sacramenta. Quando verò venit ad Matrimonium, nullum prorsus facit mentionem vilius Materiæ aut Formæ, sed hoc solum dicit: Causa efficiens Matrimonij regulariter est Mutuus Consensus, per verba de præsentibus expressa.] Quæ verba, exstant Vasquez non posse intelligi de ipso formali contractu Matrimonij, nam iste est ipse consensus mutuus, nihil autem est causa efficiens sui ipsius, vult ergo esse intelligenda de vinculo subsequente, seu de obligatione quam inducit contractus Matrimonialis, quæ durat consensu transacto. Cæterum, illa verba possunt etiam sine abluo de ipso formali contractu intelligi, non quod consensus contrahentium sit causa efficiens omnium eorum, quæ formaliter constituunt contractum, sed quod sit causa efficiens aliquam partem partis contractus, nempe manifestationem interioris, quâ sponsi sibi mutuo consensum internum communicant & aperiant: sicut etiam in alijs Sacramentis Intentio potest dici causa efficiens Sacramenti, cum tamen sit etiam pars constitutiva, vt dicemus in loco.

499. Ex his vltimis Pontificis verbis colligit DD. Matrimonium regulariter quidem per verba formalia contrahi & effici Sacramentum, de Essentia tamen ejusdem Sacramenti non esse verba formalia, sicut sunt de Essentia ceterorum Sacramentorum. Ratio autem specialis, quare Christus in hoc Sacramento noluerit essentialiter requirere verba formalia, sed voluerit sufficere quaecunque externa Signa verbis aequivalentia, qualia sunt nutus, Scriptura &c. hæc est, quia Christus elevando contractum Matrimonij, qui secundum se erat contractus civilis, ad rationem Sacramenti, noluit immutare Naturam ipsius contractus: atqui ex Natura rei poterat Matrimonium in ratione contractus celebrari per nutus, Scripturam &c. alioquin muti & surdi non possent contrahere Matrimonium: ergo convenientissimum erat, ut etiam sine verbis formalibus posset fieri Sacramentum.

Quando ergo Pontifex in prioribus verbis dixerat, omnia Sacramenta verbis perfici, locutus est, sicut solent loqui qui Regulas generales constituunt, quibus deinde subjungunt exceptiones vel limitationes; ita Pontifex statim subjecit exceptionem Matrimonij.

500. Ultra hanc exceptionem ausus est Durandus in 4. dist. 1. q. 3. n. 8. aliam facere, docens Sacramentum Pœnitentiæ solis verbis perfici, & non rebus: existimat enim, illius partes solum esse Confessionem & Absolutionem. Sed lapsus est Durandus primò, quia etiam Dolor Internus & Satisfactio, imò & peccata præterita quæ talia, sunt partes constitutivæ hujus Sacramenti, ut suo loco demonstrabimus. Secundò, quia non est de Essentia hujus Sacramenti, ut Confessio fiat per Verba formalia, quando ergo sit per Verba, hæc se habent ut Res, prout à Pontifice accipiuntur.

Digressio ad Materiam & Formam Matrimonij.

501. Controversia est, & magna dissensio inter DD. an in Sacramento Matrimonij, & quænam Materia ac Forma assignanda sit. Et quidem esse aliquam assignandam conveniunt contra Durandum. Conveniunt itidem omnes in hoc, quod Corpora Contrahentium, circa quæ in ordine ad copulam conjugalem versatur contractus Matrimonij, quatenus reciprocè traditur potestas & jus exigendi illam, quod inquam sint ad minimum Materia Remota Sacramenti Matrimonij: tota ergo quæstio est, utrum præter hanc Materiam, assignanda sit, aut assignari possit alia Materia proximior.

502. DICO 1. Ad satisfaciendum Concilio Florentino, requirenti Materiam ad omnia Sacramenta, nullam tamen pro Matrimonio assignanti, satis est, si pro Materia Matrimonij assignentur corpora contrahentium habilia ad copulam, & immunia ab alijs impedimentis dirimen-

tibus. Ita reipsâ sentiunt Vasquez, Basiliius Pontius, Gaspar Hurtadus, & apud hunc Adrianus & Covarruvias: Item Præpositus, Bellarminus & Sanchez, ac denique acriter eam defendit P. Dicastillo contra Card. de Lugo.

Probatur Conclusio. Eugenius Papa in allegato decreto non requirit nec assignat pro singulis & omnibus Sacramentis certum & determinatum genus Materiæ, v. g. Materiam proximam ex qua, sed aliquando sinit in assignanda Materia circa quam ut vidimus. atqui Corpora contrahentium sunt ad minimum Materiæ circa quam, ut fatetur Lugo: ergo ad verificanda verba Concilij satis est assignasse Corpora Contrahentium pro Materia, quidquid sit, an etiam alia possit assignari.

503. DICO 2. Corpora contrahentium non solum sunt Materia circa quam versatur ipse contractus, sed etiam sunt Materia ex qua, tanquam parte constitutiva constat ipsum Sacramentum Matrimonij. Probatur ex Regula partium. Ablatâ enim Habilitate Corporum, cæteris omnibus positis, contractus & Matrimonium est nullum: ergo est materia ex qua, seu pars. Antecedens declaratur in casu & hypothese reali, ubi omnes recipiunt Regulam, illud esse partem constitutivam, quo realiter non posito, omnibus alijs positis, non est positum totum. Ponamus ergo quod Petrus contrahat cum Maria, sua sanguinea in quarto gradu, absque dispensatione (quod est impedimentum auctoritate Ecclesiasticâ introductum) vel cum habente impotentiam ad copulam (quod est impedimentum juris naturalis) in hoc casu si uterque ignarus sit impedimenti, habent consensum & intentionem contrahendi Matrimonium, eumque manifestant in facie Ecclesiæ &c. Ecce! hic omnia interveniunt, quæ desiderantur ad valorem Matrimonij, exceptâ habilitate corporum; ergo habilitate non posita, omnibus cæteris positis non ponitur Sacramentum Matrimonij. est ergo pars constitutiva: atqui non est Forma Matrimonij: ergo tenet se ex parte Materiæ, ex qua constat Matrimonium.

504. Objicit Card. de Lugo 1. In alijs Sacramentis non est Materia id, quod tradi intenditur, sed id per quod significatur illa traditio, v. g. in Ordinatione Episcopi, quæ est quoddam Matrimonium Spirituale inter Episcopum & suam Ecclesiam, traditur Episcopo potestas supra suam sponsam, & supra fideles illius Ecclesiæ, nemo tamen dixit, Ecclesiam seu fideles illius esse Materiam illius Sacramenti, sed potius Vnctionem vel Librum. 2. Negando paritatem, unde potius confirmabitur nostra Conclusio. Ideo Ecclesia quæ designatur Episcopo consecrato, non est Materia illius Sacramenti ordinis, quia Spirituale Matrimonium inter Episcopum & Ecclesiam, ne quidem est pars constitutiva illius Ordinis, sed est prorsus extra illius essentiam: Nam etiam si nulla Ecclesia subiceretur Episcopo, modò consecraretur, haberet Sacramentum Ordinis, & posset

posset validè alios ordinare, confirmare &c. Deinde Matrimonium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam per solam Electionem & Electionis Confirmationem sapè contrahitur, ante omne Sacramentum Ordinis. Procedit ergo argumentum ex falso principio, quasi traditio potestatis in Ecclesiam, sit de Essentia Ordinationis, sicut de Essentia Matrimonij est traditio potestatis in corpus. Illud etiam in argumento Lugonis non assequor, quòd Auctor supponat, Materiam Ordinis Episcopi esse Vnctionem vel Librum, cum tamen communissima sententia Theologorum sit, quòd Impositio manuum Episcoporum sit Materia hujus Sacramenti: solus enim, quod sciam, Fornarius requirit Vnctionem capitis, & Sylvius Vnctionem manuum, quos refutat Dica-
stillo.

505. Posset tamen contra nostram Conclusionem afferri alia instantia, desumpta ex Sacramento Ostiariatus. Nam per traditionem traditur potestas aperiendi & claudendi Ecclesiam, & hæc traditio est de essentia Ostiariatus, & tamen non Ecclesia aut janua, sed claves sunt Materia ostiariatus ex qua. Ergo non id, in quod traditur potestas, sed id per quod traditio exercetur, & significatur, est Materia Sacramenti. Respondetur iterum negando paritatem. Nam quando traduntur claves, & potestas aperiendi Ecclesiam, non traditur hæc potestas absoluta in aliquam determinatam in individuo Ecclesiam, sed indeterminatè, & quasi conditionatè, videlicet, si aliquando alicui Ecclesie præficiatur, & ad illius ministerium deputetur: sicut in Sacramento Presbyteratus datur potestas absolvendi à peccatis, nec tamen vlla peccata sunt Materia ex qua Presbyteratus. Ratio utriusque est, quia etiam si nulla peccata existerent, & nulla janua, adhuc conferrentur illi ordines, quia adhuc daretur potestas, licet per accidens nunquam esset exercenda. In Matrimonio verò traditur potestas in corpus determinatum, & quidem absoluta, & potestas illa nulla esset, si corpus conjugis non existeret, aut non esset ab omnibus impedimentis absolutum.

506. Confirmatur. Quando impedimentum adest ante contractum, contractus est nullus: quando autem post Matrimonium contractum supervenit, perseverat Matrimonium. Atqui Sacramentum solum perficitur quando celebratur contractus: deinde manet solus effectus, nempe reciproca obligatio, quæ non est Sacramentum. Ergo licet habitas corporum non sit Materia constitutiva Matrimonij ut sic, & ut præcindit à statu in fieri, & in facto esse, est tamen Materia illius in fieri. Sicut Patena cum Pane, & Calix cum Vino est Materia non tantum circa quam, sed etiam ex qua, Sacramenti Ordinis in fieri, non tamen est pars constitutiva potestatis acceptæ in facto esse.

507. Objicit Lugo 2. In omnibus alijs Sacramentis intervenit realiter ipsa Materia, ut Ablutio, Vnctio &c. atqui corpora contrahentia

possunt non intervenire tunc temporis, quando conficitur Sacramentum Matrimonij, v.g. quando celebratur per Procuratorem: ergo non est Materia. R. 1. Majorem non esse veritatem veram. Nam etiam in Sacramento Penitentiae Dolor & Confessio possunt non esse realiter presentes ibi, ubi conficitur Sacramentum, potest enim præcessisse in loco & tempore distans. Ergo enim aliquem nave vehi, & imminere magis ergo dolere de peccatis & perere Sacramentum, potest is post plures horas, in id dies, & post plures leucas jam confectas, si forte interim morietur, ops fiat, virtute illius præterita & impetita Confessionis, absolvi à Sacerdote potest, & superveniente, ut ex communi docet ipse Lugo, & tamen tunc Dolor & Confessio erant Materia huius Sacramenti: ergo etiam corpora contrahentia ab invicem distantia poterunt esse Materia Sacramenti. R. 2. Transfert major et non negatur consequentia, & paritas cum Sacramento Matrimonij, in quo est specialis ratio: quia Christus voluit in illo servare Naturam contractus, qui potest per procuratorem celebrari: item eandem causam, licet in alijs Sacramentis hoc non est necesse, nam ipsi contrahentes sunt Ministri, & tamen non sunt in persona præsentis. Porro, quòd in alijs Sacramentis Materiam esse præsentem, non provenit ex Natura Sacramenti in genere, sed ex Natura talis actionis quæ inter cetera Sacramenta, v.g. Ablutionis, Vnctionis, quæ non possunt exerceri sine aqua, oleo præsentibus.

508. Objicit Lugo 3. n. 16. In alijs contractibus v.g. Contractu Emptionis, venditionis, non est idem id quod per contractum traditur, & id per quod tanquam per materiam celebratur. Nam in contractu emptionis venditionis v.g. Domus, est id quod traditur intenditur, scilicet per quod significatur & celebratur ipsi contractus, sunt Claves vel Scriptura &c. per quam traditionem celebratur contractus: quæ domus vel Scriptura sunt materia ex qua proprie constituitur ille contractus, Domus verò est tantum materia circa quam, seu objectum quod intenditur vendi & transferri, non verò materia ex qua constituitur contractus, de qua sola materia hic querimus.

509. Respondeo 1. & quæro ex Lugo, an existimet, posse contractum emptionis celebrari circa materiam nondum in rem motam existentem, necne? Si negat? Dico, existeret mercis esse materiam ex qua illius contractus, ob argumentum desumptum ex Regula Patrum, cujus auctor est ipse Lugo, quando probat intentionem esse partem Sacramenti. Si vero affirmat (quod tamen negandum est, ut citi juris est) tunc nego paritatem inter Emptionem & Matrimonium: nam sine existentia corporum habitum, non potest contrahi Matrimonium. Porro existentiam Mercis non esse essentia Venditionis in genere, potest dici, quatenus vendi potest id quod tantum leviter a-

spe, nunquam fortassis existit in re, v. g. partus ancillæ, fætura gregis, jactus retis, fructus agrorum futuri. Eodem modo existentia pretij non est de essentia emptionis: Et hæc sit prima responsio.

510. Respondeo 2. Falsum esse, quod Claves vel Scriptura sint materia essentialis ex qua constet contractus Emptionis: in quo sanè nescio quomodo lapsus sit Lugo, supponens in suo argumento, Contractum Emptionis non aliter quam per traditionem veram vel fictam posse celebrari. Nam aperti Juris est, & habetur Titulo 23. libri 3. Inst. Contractum Emptionis non esse ex illo genere Contractuum, qui Re, hoc est, actuali traditione, perficiuntur, ut sunt contractus Commodati, Depositi, Mutui, sed est ex illo genere Contractuum, qui solo Consensu perficiuntur, & absque vlla traditione stat tota essentia contractus, tametsi dominium mercis non transferatur nisi per traditionem, & hoc quidem Juris dispositione introductum est. Ergo nec Claves, nec Scriptura, sunt materia horum contractuum, utpote de quorum essentia non est traditio.

511. Obijcit 4. n. 19. Si omne illud esset Materia ex qua Contractus, circa quod versatur ipse Contractus, sequeretur, quod si quis stipularetur sibi scribendum librum à Petro, liber scribendus esset Materia contractus stipulationis, quod est aperte falsum, quia contractus stipulationis verè subsistit, etiamsi Petrus postea non stet promissis, & librum non scribat. Hoc argumentum optimè formari contra illos, qui vnicè probant, Corpora contrahentium esse Materiam ex qua, quia sunt Materia circa quam. Hac probatione ego non sum usus, & ideo argumentum non est contra me. Sanè ex antè dictis constat, posse aliquid esse Materiam circa quam, quin sit Materia ex qua. Itaque non omnis Materia circa quam, sed illa sola est simul etiam Materia ex qua, de qua verificatur Regula partium, hoc est, quæ non posita, cæteris omnibus positis, non valet Contractus: hæc autem Regula non procedit in libro scribendo, ut ipsa objectio rectè supponit; verificatur autem in Corporibus contrahentium, ut ostensum est: ergo ex contractu stipulationis ad Contractum Matrimonij non valet consequentia.

Dixi, librum scribendum non esse Materiam ex qua. Si enim consideretur liber non ut scribendus, sed ut scribilis, seu possibilis scribi à Petro, seu ipsa potentia scribendi, potest dici esse Materia ex qua, quia ut sic est pars constitutiva stipulationis validæ, ut habetur §. 1. Inst. de Inutil. lib. stipulat. his verbis. [Si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit, inutilis erit stipulatio.]

Hactenus ostendimus, Corpora contrahentium esse Materiam ex qua. Restat videndum, an sint mera materia remota, possitque alia proximior assignari.

512. DICO 3. Non videtur posse assignari proximior Materia, quæ semper & univèrsaliter ad Matrimonium requiratur & interveniat. Dixi: quæ semper &c. Concedo enim, quod casu quo Matrimonium contraheretur per ipsam actuale copulam, animo maritali exterius manifestato præstitam, pro materia proxima assignari posset ipsa actualis copula, seu traditio corporum. Sed hanc non requiri clarum est. Quærimus ergo hic Materiam proximè substantem verbis, quibus celebratur contractus Matrimonij, quæ sit distincta & à Corporibus contrahentium, & à verbis, sicut in Baptismo ablutio est materia proxima, aqua verò est Materia remota; & hanc ego nego posse assignari, quod probabo, impugnando aliorum sententias.

Primo ergo ab aliquibus assignatur Consensus internus, qui semper realiter distinguitur ab externa sui manifestatione. Ita sentit S. Thomas tam in primo quam in secundo scripto, & ut probabilem defendunt Dicastillo & Arriaga.

513. DICO 4. Consensus internus non potest commodè & ad mentem Concilij Florentini assignari pro materia Matrimonij. Omisiss aliorum probationibus, Probo 1. Concilium requirit talem Materiam, quæ sit distincta ab Intentione Ministri, quia requirit Intentionem Ministri talem, quæ determet ipsam Materiam ex se indifferentem ad esse Sacramenti: requirit enim Intentionem faciendi quod facit Ecclesia: atqui Intentio contrahentium est ipsissima intentio Ministri, seu Ministrorum Sacramenti Matrimonij, nam ut habet certa sententia contra Canum, Ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, Parochus autem quando adhibetur ex constitutione Tridentini, tantum fungitur officio Testis & Benedicentis Sponsos: ergo intentio contrahentium non rectè assignatur pro Materia hujus Sacramenti.

Dices: Concilium etiam designavit Rem, seu Materiam distinctam à Persona Ministri: atqui corpora contrahentium non distinguuntur à Persona Ministri: ergo neque corpora contrahentium deberent pro Materia assignari. R. Sufficere, quod distinguantur Corpora à Ministro formaliter & reduplicativè sumpto, hoc est, à forma constituente Ministrum, quæ est intentio Ministri, neque plus requisivit Concilium.

Probatur Conclusio 2. In omnibus alijs Sacramentis assignatur Materia, quæ saltem secundum aliquid est sensibilis, & quidem secundum aliquid distinctum à Verbis tanquam forma: atqui Intentio contrahentium non sit sensibilis nisi per Verba, ergo non videtur commodè assignari pro Materia. Sanè Pontifex per Rem, seu Materiam, videtur aliquid secundum se sensibile intellexisse.

514. Secunda quorundam opinio est, Verba, quæ prius proferuntur ab vno conjugum, esse Materiam, & Verba quæ proferuntur ab altero conjugum, esse formam. Ita Richardus, Angelus,

lus, Victoria, Ledesma, Vega, apud Sanchez & Vasquez.

DICO 5. Neque hanc Materiam rectè assignari. Probatur 1. Quia non est Materia universalis pro omni casu possibili, ut, pro casu, quo ambo sponsi simul absolverent Verba, vel quo per actuale copulam contraherent, vel quo per Litteras simul scriptas, & notificatas. Sed melius

Probatur 2. Uterque conjunx est Minister: ergo utriusque conjugis verba sunt forma. Probatur conseq. Forma debet proferri à Ministro: ergo utriusque propria verba sunt forma, & sicut sunt duo Ministri constituentes vnum Ministrum completum, ita sunt duæ formæ constituentes vnam formam completam.

515. Tertia sententia est Card. Pallavicini, Verba seu Syllabas præcedentes ultimum instans terminativum totius propositionis, esse Materiam, existentiam autem ultimi indivisibilis esse formam.

DICO 6. Hanc esse subtilitatem Metaphysicam, alienam à mente PP. & DD. & præterea insufficientem, nec ad mentem Concilij. Probatur 1. Concilium dicit, Sacramenta constare verbis tanquam formæ: atqui ultimum instans seu indivisibile soni, non est Verbum, nec dum Verba, sed potius Syllabæ præcedentes sunt verba: ergo malè assignantur pro Materia & indivisibile pro Forma. Probatur 2. Quia hac ratione in omnibus reliquis Sacramentis pro proxima materia assignandæ essent pariter præcedentes Syllabæ, & instans terminativum pro forma, quod hætenus nulli Theologorum, quod ego sciam, in mentem venit. Probatur 3. Quia superior sententia, quam sequitur ipse Pallavicinus, non admittit instantia terminativa distincta à partibus.

516. Et hæc sunt opiniones hætenus excogitatae pro inveniendâ materia physica Matrimonij. Cateri Theologi, ut Sanchez, Suarez, Bellarm. Conink, Bonacina, Perez, Lugo, & obiter P. Esparza, & Comptonus, recurrunt ad Materiam Logicam: nimirum in ipsis verbis, sive ea sint verba formalia sive æquivalentia, duas considerant formalitates, quarum una sit respectu alterius forma. Jam dixi, & fatetur in terminis Pallavicinus, Mentem Pontificis & Concilij non se extendisse ad hanc materiam Logicam, nec ullam esse necessitatem Theologicam, assignandi talem materiam. Nihilominus in hac quaestione,

517 DICO 7. Potest admitti, quod verba utriusque Conjugis gerant simul officium Materiarum & officium formæ secundum diversam considerationem. Declaratur. Possunt verba contrahentium considerari diverso respectu: primo quidem, quatenus habent rationem oblationis, nam ab oblatione incipit regulariter contractus, v.g. Mercator offert mercem venalem pro pretio. Sic qui vult contrahere Matrimonium, offert se alteri in conjugem, & hæc oblatio præcisè sub con-

ceptu oblationis, est adhuc indifferens ut determinetur vel non determinetur ab altero conjugis, quæ determinatio fit per acceptationem: itaque verba considerantur secundò sub conceptu acceptationis: ergo sub conceptu oblationis sunt dici habere rationem Materiarum, & sub conceptu acceptationis habere rationem formæ. Quæ verò eadem verba ita habent rationem oblationis, ut simul etiam sint acceptatio reciproca oblationis (est enim contractus mutus, & reciproca obligatio) ideo vniuscujusque contrahentium verba sub conceptu oblationis, sunt solum materia Logica, & sub conceptu acceptationis, forma Logica.

518. Contra omnia hætenus dicta obijci posset. In omnibus Sacramentis materia prima & indifferens ad esse Sacramenti, est ipse sonus verborum, qui ad esse Sacramenti determinatur per significationem quam ille sonus habet in prima institutione vocum: ergo ipsa significatione seu vis significandi, erit forma. R. In ipsis eadem vocibus sonus rectè dicitur esse Materia, ut vis significandi forma, sed respectu Sacramenti non item. Nam respectu Sacramenti illud dicitur forma, quod procedit ab intentione Ministri atque solus sonus, & non impositio significationis, procedit à Ministro, & sonus prior hâc nunc adhibetur ad Sacramentum, supervenit impositioni vocum, quæ pridem præcessit: ergo rectè assignantur verba pro forma, non quod sonus purus, sed sonus habens talem significationem.

519. Obijci etiam posset auctoritas S. Augustini, qui videtur pro forma Sacramentorum assignare actum fidei, quo creditur ipsum sacramentum. sic habet tr. 80. in Jo. [Vnde illa virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, non faciente verbo, non quia dicitur, NB. sed quia creditur. nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei, quod prædicamus.] His Augustini verba adiutuntur hæretici, ad probandum, quod in administratione Sacramentorum debeat intervenire quadam concio, seu explicatio Mysteriorum regitur. R. Cum actus fidei sit quid transiens, non potest S. Augustinus intelligi de actu fidei, quia dicit, virtutem verborum esse permanentem, & præterea Sacramentum Baptismi administratum parvulis sine ullo actu fidei eorum proprio. Idemque S. Augustinus per verbum, *Ordinatur*, voluit significare ipsam institutionem Sacramenti, hoc est Mysteriorum quod est objectum fidei. Vnde in eodem Tract. in fine sic loquitur. [Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, impetrem etiam tantillum, mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad iustitiam.]

CONTROVERSIA II.

An, & quo sensu Materia & Forma Sacramentorum sit determinata à Christo.

520. Catholica doctrina est, Materiam & Formam Sacramentorum aliquo modo à Christo ita esse determinatas, ut nec licite nec valide possit ab Ecclesia in aliam mutari. Constat autem hæc veritas ex constanti traditione Ecclesie, & satis exprimitur in Tridentino sess. 21. c. 1. dicente, hanc potestatem perpetuam in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. ubi per verba: *Salva eorum substantia*, innuit, substantia esse à se immutabilia. In hac veritate propugnanda triplex est removenda Obiectio, & prius

521. Advertendum est primò, quòd Christus Dominus in instituendis Materiis Sacramentorum, designaverit certa quædam prædicata rerum, v. g. prædicatum aquæ naturalis in Baptismo, Panis & Vini in Eucharistia, &c. secundum quæ prædicata aliquid tamdiu voluit esse Materiam aptam, quamdiu illud prædicatum perseveraret, eo verò destructo noluit amplius esse Materiam aptam. Porro destruere huiusmodi prædicatum, non est mutare materiam Sacramenti, in eo sensu, quo hic negamus posse materiam mutari: est enim tantum mutare materialiter & remotione, non formaliter. Vt ergo Ecclesia haberet potestatem mutandi materiam formaliter, deberet efficere posse, ut aliquid habens prædicatum à Christo designatum, non amplius esset idonea materia talis Sacramenti, v. g. ut aqua elementaris non esset amplius materia baptismi, vel econtra, ut aliquid non habens tale prædicatum, esset materia apta, v. g. ut aqua esset Materia Eucharistie, & hoc negamus posse ab Ecclesia fieri.

522. Advertendum 2. Christum pro quibusdam Sacramentis assumpsisse & designasse prædicatum purè physicum, ut pro baptismo aquam Elementarem fluidam: in Eucharistia panem triticum, & vinum de vite, &c. pro alijs verò prædicatum aliquod morale, ut pro Sacramento Confirmationis voluit materiam esse Chrisma benedictum ab Episcopo consecratum; pro Sacramento Penitentie voluit esse materiam circa quam peccata, non quæcunque, sed hominis subditi, in quem à Pontifice esset collata Jurisdictio huic vel illi Sacerdoti: in extrema Unctione voluit materiam esse oleum benedictum: in Sacramento Ordinis assumpsit ritum externum in genere, qui esset idoneus ad significandam collationem alicujus potestatis: in Matrimonio denique, corpora non impedita ad talem contractum ineundum, ex disposi-

tione legis naturalis vel positivæ &c. Nunc ergo,

523. Objici solet 1. Ecclesia videtur mutare Materiam Sacramenti Penitentie. Materia enim prout à Christo instituta est, sunt peccata hominis baptizati: atqui Ecclesia reservat aliqua peccata, quod nihil aliud est, quàm mutare materiam; non enim aufert Ecclesia prædicatum Peccati, sed relicto hoc prædicato, subtrahit quorundam Sacerdotum potestati certas species peccatorum, ut non possint ab illis absolvere. 2. Ecclesiam in hoc puncto tantum materialiter & remotione mutare materiam Sacramenti. aufert enim prius prædicatum illud, quod à Christo est assumptum, sicut si quis vinum prius converteret in aquam vel acetum, ut defineret esse materia Eucharistie. Ratio est, quia prædicatum à Christo attentum in peccato, non fuit prædicatum Peccati ut sic, alioquin etiam hominis non baptizati peccata essent materia, sed erat prædicatum Peccati hominis subditi respectivè ad talem vel talem Sacerdotem. Jam verò dedit Christus Ecclesie potestatem ligandi, hoc est, faciendi, ut hic vel ille Sacerdos non habeat Jurisdictionem in illos, qui talem speciem peccati commiserunt, quia non expediebat Ecclesie, ut omnium Sacerdotum Jurisdictio esset æqualis, hoc est æquè latè patens & universalis, sed potius ut esset quædam subordinatio, sicut videmus esse etiam in Jurisdictione civili: sunt enim quædam delicta, quæ non possunt inferiores magistratus judicare & punire, sed sunt reservata Principi. Cum ergo actus hujus Sacramenti sit actus Jurisdictionis, & non purè actus ordinis, consequenter materia illius prout est à Christo taxata, semper est accipienda respectivè ad Jurisdictionem quam præsupponit: hoc autem prædicatum; contineri sub Jurisdictione hujus & non illius Ministri, est prædicatum separabile à peccato ut sic, & illud aufert Ecclesia per reservationem talis speciei; & per consequens non nisi remotione mutat materiam, sicut mutaret materiam Eucharistie ille, qui vino admisceret tantum aquæ, ut amitteret denominationem vini usualis, quod est prædicatum à Christo taxatum pro Sacramento Eucharistie.

524. Hanc doctrinam verissimam malè applicans quidam Archiepiscopus, abusus est potestate suâ, existimans, se posse hoc modo reddere irrita Matrimonia contracta sine prævijs Denuntiationibus: quem casum sibi propositum resolvit Card. de Lugo lib. 1. Resolut. Moral. dub. 45. existimabat, inquam, ille præsul, se hac ratione denique post aliâ tentata media, posse in sua Diacesi tollere abusum, quo multi per fraudem procurabant præsentiam parochi & aliorum testium, & in eorum præsentia sine prævijs denuntiationibus contrahebant. Statuit ergo ille Præsul, & declaravit, se pro omni tali casu suspendere potestatem Parochorum, perinde ac si non essent Parochi. Verùm hanc potestatem suspendendi negat Card. de Lugo competere Episcopis; hoc enim aliud

Aaaa 2

non

non esset, quàm inducere in sua Diocesi impedimentum dirimens, ultra impedimenta jure communi introducta, quam potestatem, utpote versantem in re gravissima, nunquam concessit Ecclesia Romana inferioribus Episcopis. Quæ resolutio est conformis decisione Congregationis Cardinalium Interpretum Tridentini, quæ videtur potest apud Sanchez lib. 3. de Matr. disp. 21. n. 12.

525. Objici potest 2. Materia Matrimonij prout à Christo assignata, alia non erat, quàm illa ipsa quæ prius erat & semper est Materia ipsius Contractus Matrimonialis, nempe Corpora Habilia ad copulam. Atqui Concilium Tridentinum videtur hanc materiam mutasse, quando annullavit Matrimonia clandestina, quæ prius valebant, & quando ipsum vel Ecclesia per alios præcedentes Canones introduxit alia impedimenta dirimentia: sicut enim diceretur mutare Materiam Baptismi, si ultra aquam naturalem requireret ad valorem Baptismi Oleum Aquæ admiscendum, & certas Benedictiones, cum Christus solam Aquam Naturalem voluerit sufficere, ita censetur mutasse Materiam Matrimonij, si ultra corpora secundum se apta ad copulam, ex jure divino & naturali, requirit præsentiam parochi & testium.

Respondetur eodem modo sicut ad priorem casum. Materia à Christo instituta pro Sacramento Matrimonij est eadem quæ est Materia hujus Contractus. Materia autem hujus contractus non sunt quæcunque corpora physicè considerata, & physicè idonea ad copulam, sed Corpora Personarum quarum consensus à legitimo Magistratu non sit reprobatus. Sicut enim irritantur contractus Pupillorum, Minorennum, Conjugum, Prodigorum &c. celebrati sine requisitis à Lege Solennitatibus, ita & Contractus Matrimonij poterat irritari, nisi intervenirent solennitates requisitæ à legitimo Magistratu, hic autem Magistratus est Ecclesiasticus apud Christianos, quia Contractus Matrimonij est elevatus ad rationem Sacramenti. Itaque Ecclesia irritando consensum contrahentium sine parochi & testibus, aufert prædicatum *Consensus legitimi*, seu legi conformis, sicut etiam aufert habilitatem à personis sanguine aut affinitate in certo gradu conjunctis.

526. Objici potest 3. ex Sacramento Ordinis. Constat enim ex historijs, quod olim fuerit collatus ordo Præbyteratus & Diaconatus per impositionem manuum tanquam per materiam, & hodièque Græci hac solâ materiâ utuntur, ac temerarium esset dicere (teste Dicastillo) Græcos non consecrare validè, nec esse ordinatorum: atqui hodiè in Ecclesia Latina Materia Præbyteratus est Calix & Patena cum Vino & Pane, & Materia Diaconatus est Liber Evangelij, ut ex Florentino supra recitavimus: ergo Ecclesia assumpsit aliquid in Materiam Sacramenti, quod non erat à Christo institutum.

527. In hoc puncto P. Adamus Tannerus post alios quosdam disp. 7. q. 2. dub. 3. n. 59. & 60.

sequentia docet. Primò, Traditionem Evangelij esse à Christo determinatè institutam pro materia saltem partiali Diaconatus, adeo ut ea omnia possit vniquam esse valida ordinatio. Docet 2. Materiam Præbyteratus à Christo institutam partialem esse traditionem Calicis & Patenæ. Docet 3. n. 102. Se existimare, Græcos enim tempore Florentini hac Materiâ vfos esse, & non solâ manuum impositione, quia nullo autem hunc Græcorum morem refert. Vnde infra n. 104. si Græci aliqui aliter faciunt, se existimare, eos in Ecclesia Latina non esse tolerandos, nec sic ordinatorum pro Sacerdotibus habendos esse. Verùm,

528. Contra primum Tanneri alterum Argumentum efficax, desumptum ex primario Ecclesia, in qua fuerunt ordinati Diaconi, ut à Stephanus, antequam vllus Evangelicorum liber conscriptus esset, & ab Ecclesia receptus. Contra secundum & tertium assertum, stat præcisè constans Græcorum, non solum in Græcia, sed etiam in ipsa Vrbe Roma, sciente & consentiente Summo Pontifice. Creant enim Romæ Episcopi Græci per solam manuum impositionem Præbyteros, idque Card. de Lugo n. 87. testatur, se præsentem spectasse. Imò Clemens VIII. anno 1593. 31. Augusti, instructionem edidit, quæ est in ordine decimaquarta, ubi §. 7. sic habet: [Insuper Sanctissimus Dominus noster censuit, Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos ritu Græco ordinet,] legi Ecclesia Latina habet tales pro veris præbyteris.

529. Alij aliter ad objectionem respondent, & dicunt, solam manuum impositionem etiamnum apud Latinos quoad substantiam reneri, tanquam materiam essentialem hujus ordinationis, cetera verò tantum requiri ex præcepto, non ad validam, sed tantum ad licitam ordinationem. Ita Arcadius lib. 6. Concordiæ c. 7. pro qua sententia refertur à P. Dicastillo S. Bonaventura & Petrus Sorus, eandem tenet Petrus Mercatius, atque eam probabilem judicat P. Esparza, quæ sententia si vera est, cessat tota difficultas. Sed quia contraria longè vetior est, ideo aliter respondendum est: &

530. Dicendum cum Nicolao Sertio, Iugo, Dicastillo, Pallavic. Esparza, & alijs, nec impositionem manuum determinatè, nec traditionem Patenæ & Calicis determinatè fuisse à Christo designatam pro materia; sed in generitum externum significativum collationis ab eujus potestatis, constitutum ab Ecclesia. Hæc generale prædicatum solum designavit Christus. Cum ergo possint esse varij ritus ita significativi, potest Ecclesia, quemcumque voluerit, determinare, quia jam habet totum prædicatum à Christo requisitum. Talis ritus est tam impositio manuum, quàm traditio Calicis & Patenæ.

Et quidem Apostoli à principio elegimus solam manuum impositionem, ut tradit Innocentius IV. in cap. Præbyter, de Sacram. non in-

randis, & in ipso capitulo quod est Gregorij IX. satis clarè significatur his verbis, parenthefi inclutis, (*ritu ab Apostolis introducto*) vox enim: *introducto*, non potest nisi violenter (ut facit Tannerus) intelligi, quòd Apostoli primi observaverint ritum à Christo institutum: nam hac ratione possent Apostoli etiam dici caeremoniam Baptismi introduxisse, quia vsurparunt & observarunt primi; qui modus loquendi non esset tolerandus.

CONTROVERSIA III.

Quanta Materie Variatio esse debeat, ut reddat Sacramentum invalidum.

331. Certum est, aliquam variationem materię posse esse tantam, ut in ea non possit amplius confici Sacramentum, v. g. si vinum fieret acetum. Hanc mutationem vocant Theologi *Substantialem*. Non tamen omnis variatio est talis, ut tollat idoneitatem materię ad conficiendum inde Sacramentum, v. g. si panis sit fermentatus, si vinum nonnihil acceat: hæc vocatur mutatio merè accidentalis.

332. Quando jam quæritur Regula cognoscendi, quam mutatio tollat vel non tollat idoneitatem materię, non rectè respondetur, illam tollere, quæ est mutatio substantialis, illam verò non tollere, quæ est tantum accidentalis. Imprimis enim hoc est alijs terminis brevioribus respondere id quod quæritur. Theologi enim brevitaris gratiã vruntur illis terminis. Deinde illa Regula præbet ansam deceptioni. posset enim aliquis ex ea velle inferre, quòd quando mutatio non fit in substantia, non sit mutatio substantialis Theologicè, quia non est mutatio substantialis physice: econtra quando mutatio fieret in substantia, inferret alius, esse mutationem substantialem Theologicè, cum tamen utrumque fallat. Nam aquam esse fluidam, vel congelatam, est mutatio merè accidentalis, physice loquendo; & tamen Theologicè loquendo est mutatio Substantialis, quia aqua congelata non est idonea Materia Baptismi. Item massa panis cocti non nisi accidentaliter, physice loquendo, videtur differre à massa non cocta, & tamen hæc est variatio Theologicè Substantialis, quia massa non cocta non est materia idonea Eucharistiæ. Item nimia arctitudo vel frigiditas corporis, reddens impossibile copulam, est mutatio tantum accidentalis physice loquendo, & tamen reddit Materiam Matrimonij invalidam, & est Theologicè Substantialis mutatio: Denique, Chrisma esse vel non esse Benedictum, est tantum diversitas accidentalis, physice, Theologicè verò Substantialis. Econtra panis fermentatus differt physice substantialiter à non fermentato, & tamen Theologicè tantum est diversitas accidentalis.

333. Dicendum, & pro Regula statuendum est, tunc variationem materię Sacramentalis esse

Theologicè Substantialem, quando vi talis variationis non amplius continetur sub significato proprio, secundum communem intelligentiam accepto illarum vocum, quibus Scriptura & Patres atque Concilia vsa sunt, quando nobis Materiam expresseerunt.

Ratio ex dictis traditur. Tunc enim aliquid definit esse Materia Idonea, quando definit habere illud prædicatum, quod Christus in præscribenda materia attendit, & cui illam alligavit: atqui quando variatio talis est, ut non amplius significari possit illis vocibus, quibus Christus, Apostoli, Evangelistæ, Patres & Concilia, per continuam traditionem vsi sunt ad significandam materiam Sacramentorum, hoc ipso non habet amplius illud prædicatum, quia illud prædicatum debet principaliter per talem vocem exprimi, & quamdiu illud manet, adhuc continetur sub significato talis vocis. Ergo &c.

Exemplificatur Regula. Pro Materia Baptismi designata est aqua elementaris. Si quis aquæ tantum vini misceret, ut inciperet esse vinum vsuale, desineret esse materia idonea Baptismi. Econtra si vino tantum aquæ affunderet, ut desineret esse Vinum vsuale, desineret esse materia Calicis. Simili modo discurrendum est de pane triticeo, de Chrismate, Oleo &c.

334. Obijcies. Glacies adhuc vocatur aqua, & tamen non est idonea materia Baptismi: ergo potest aliquid retinere prædicatum constitutum à Christo, & tamen amittere rationem materię Sacramentalis. R. Prædicatum, quod Christus assignavit, non est prædicatum aquæ, ut sic, sed aquæ aptæ ad lavandum, debet enim materia remota esse conjungibilis cum proxima, hæc autem est ablutio. Econtra vinum congelatum adhuc est confecerabile, quia Sacramentum Eucharistiæ non consistit in vsu, seu potatione, & forma Calicis etiam circa Species congelatas verificatur.

335. Non ignoro, ultra Regulam nostram tradi à P. Elparza aliam, & est hæc. Solà illà, & qualibet Additione, Detractione, vel Alteratione materia redditur inidonea, quæ ex rebus Analogia cum effectu Sacramenti, & Symbolica ejusdem Representatio aufertur. Hæc tamen Regula pluribus instantijs obnoxia est, & ad praxin parum servire potest. Nam si quis aliquem ablueret aquâ rosaceâ, vel artefactâ, utique haberet eandem analogiam cum ablutione animæ, quam habet ablutio facta aquâ elementari: & tamen aqua rosacea non censetur materia idonea Baptismi. Item si Chrisma benedictum à simplici Sacerdote adhiberetur ad Confirmationis Sacramentum, non minus Symbolizaret effectum illius Sacramenti, quam Chrisma benedictum ab Episcopo, nec tamen est materia idonea. Præterquam quòd pauci Theologi ad Symbolizationem attendant, cujus propè nullam mentionem faciunt, quasi essentialiter requiratur, & regula, quam in præsentis quærimus, debeat etiam parochis

chis esse perspecta, qui nihil unquam de hac Symbolizatione in sua Theologia audierunt.

CONTROVERSIA IV.

Quonam variatio formæ obest valori Sacramentorum.

536. Variatio verborum varijs modis fieri potest: Substitutione unius pro alia, additione, detractio, corruptione syllabarum, interruptione pronuntiationis, transpositione vocum. Huc etiam revocatur, si Minister proferat quidem verba requisita, sed cum errore circa eorum significationem, putans aliud significare, quam reverà significant: item si utatur verbis æquivocis, quæ quidem etiam verum & debitum sensum recipiant, sed Minister alium sensum intendat, nolens proferre in illo sensu quem habent verba in usu Ecclesiæ. Denique si Minister addat vel detrahat verba quæ putat esse de essentia formæ Sacramentalis, cum tamen non sint. Exempli in progressu dabuntur, quando pro his omnibus casibus Regulas generales trademus, quarum deinde applicatio pertinet ad Theologos Morales.

537. Duæ autem Regulæ generales tradi recipiæque solent ab omnibus, post S. Thomam q. 60. a. 8.

Prima Regula est hæc. Quæcunque variatio non invertens sensum formæ à Christo ad nos per traditionem transmissæ, & ab Ecclesiâ communiter usurpatæ ac præscriptæ, non obest valori Sacramenti, præcisè attentâ variatione. Dixi: præcisè attentâ variatione. quia utrum accedente errore, vel perversâ intentione Ministri, intendentis per talem mutationem inducere errorem in Ecclesiâ, reddatur forma insufficientis ad conficiendum Sacramentum, est specialis quæstio & difficultas, de qua dicemus seq. Controv. Ratio Regulæ est. Nam verba non sunt assumpta propter Materialem Sonum, qualis fortassis attenditur in incantationibus, sed propter formalem vim significandi, quam habent in ratione Idiomatis ex sua institutione: si ergo hanc non amittunt per mutationem, habent adhuc totum quod requiritur ad formam substantialem Sacramenti.

Regula 2. Variatio pervertens sensum formæ ab Ecclesiâ præscriptæ adeo, ut non significet amplius id quod Christus per formam à se institutam voluit significare, invalidum reddit Sacramentum. Pater Regula per argumentum à contrario. Amisâ enim significatione amittunt verba id, quod Christus substantialiter requisivit, & perinde est ac si Minister penitus sileret: ergo non fiet Sacramentum.

Hæ Regulæ, quantumvis ex se evidentes sint, earum tamen applicatio ad casus dubios adeo difficilis est, ut Doctores traxerit in Oppo-

sitas Resolutiones. Auxit difficultatem ratio quædam Zachariæ Papæ, & S. Thomæ, quæ statim referam, videntur enim regulis contrariæ resolvisse.

538. Obijciatur ergo 1. Ex secunda Regula sequitur, non valuisse Baptismum circa quem consultus est Pontifex Zachariæ, ut refertur in Canone *Retulerunt de Consecr. dist. 4.* Cum enim relatum esset ad sedem Apostolicam, Secedens quendam Baptizantem sub hac forma: Ego te baptizo in nomine Patriæ, & Filiæ, & Spiritus sancti, & Bonifacii illius loci Episcopi, respondit contra Valorem Baptismi: respondit Papa in hæc verba. [Si ille qui baptizavit, non rursus inducens aut Hæresin, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut in novo Baptizetur.] Hæc Papa. Substantum enim in illis verbis forma à Christo constituta in corrupta fuit, ut non significaret amplius id, quod Christus per formam à se institutam voluit significare, ut cuius manifestum est: ergo mutatio significationis formæ non obstat valori Sacramenti. Respondetur tamen, illarum vocum corruptionem non abstinuisse in illis circumstantiis, & attentâ communis usus accommodatione, significationem à Christo institutam, & quam habent verba incorrupta. Rationem bonam reddit Card. Pallavicinus. Hoc ipso enim quod insinuat aliqua lingua, necesse est, ut propter rudem, balbutiensem, & negligentiam populi loquentis, significatio primaria attributa vocibus incorruptis, Secundariò transferatur etiam ad eas voces, in quas prout vitiari voces incorruptas, loquimur institutio linguæ & obligatio veritatis, esset ferè inutilis in Republica. Itaque Pontifici Zachariæ visa est illa corruptio formæ præscriptæ, adhuc esse intra limites corruptionis, ut quam lingua imperiti parochi defecere possent, & deflexisse præsumitur in homine idiota & alio quin non male fama, nec suspensio de materialis corruptione.

539. Obijci potest 2. Ex nostra Regula sequi videtur, Baptismum nuper administratum à Neophytis in Regno Tunchinensi, fuisse invalidum, quod tamen dicere durum videtur. Sequela probatur. Nam in idiomate illius Regni verba *Nomen*, non significat Auctoritatem seu Virtutem, qualem significationem censetur habere in hominibus Baptismi, sed vel significat appellationem, vel famam. ergo juxta Regulam secundam illa forma fuisse invalida, quia sensus illius fuisse. *In appellatione vel fama Patriis &c.* qui est omnino diversus sensus ab hoc: *In auctoritate.*

540. De hoc puncto disputatum est, ut colligo ex Card. Pallavicino, qui faciens præcisè loquendo illum Baptismum Neophytarum fortasse fuisse incertum, adeoque iterandum sub conditione, speculativè tamen iudicat fuisse validum. Ad objectionem ergo respondet, non esse essentialiter requisitum ad Baptismum revo-

bulum tantæ efficacitatis, quantæ est illud : in *Nomine* : etenim nos ipsi in lingua propria latina non habemus vocem synonymam, respondentem Ecclesiasticæ significationi hujus vocabuli. Nam vox, *Nomen*, originariè solùm significat id, per quod aliud noscitur, & ita deducitur à *Noscendo*, sicut Flamen à *flando*, tegmen à *tegen-do*, sed quoniam qui agit ex alterius auctoritate & virtute, solet illum nominare, & facit illum cognosci, ideo vox illa *nomen*, adoptavit hanc aliam significationem ; in *virtute*, ex *auctoritate*. Quare eandem significationem censebitur adoptasse in lingua Tunchinensi, positâ intentione loquentium, volentium utique loqui in eo sensu, quem intendeabant eorum instructores & Catechistæ. Ita Pallavicinus : cujus resolutio mihi vera videtur. Quia tamen contra eam replicari posset, quasi tribueret privata auctoritati potestatem adoptandi vocibus novam significationem ultra originariam, ideo magis declaranda videtur.

541. Adverto itaque primò, quòd cum Christus voluerit, ut in quovis idiomate posset Baptismus administrari, inconveniens fuisset, si pro linguarum diversitate difficilis redderetur usus Baptismi, & arctaretur via salutis, ut loquitur S. Thomas hic q. 60. a. 5. ad. 3. ubi observat, res quarum usus est necessarius in Sacramentis, vel haberi communiter, vel parvo studio comparari posse, & ideo Christus in aqua potius quàm alio liquore Baptismus instituit. Quare si quod idioma non habet voces, quæ ex primæ institutione significant illud, quod exigit Forma Baptismi, debent saltem in promptu esse vocabula, quæ habeant significationem affinem, ratione cuius possint facile, & ipso usu acquirere significationem ascriptam, sufficientem ad formam Baptismi.

542. Adverto 2. Voces habentes primæ significationem, facile posse ascriptam significationem adipisci, præsertim quando vsurpantur ab illis, qui publicâ auctoritate loquuntur, & hoc probat quotidiana experientia in scholis, ubi Magistri introducunt usum quarundam vocum non solùm penitus novarum, sed etiam tribuunt vocibus jam significationem habentibus, aliam ascriptam. Sic Theologi vtuntur voce *Dotis* & *Aureolæ* in alio sensu quàm qui primævus est; sic Juristæ vtuntur voce *Actionis*, quâ significant jus petendi in Judicio, quod sibi iure debetur; & voce, *Causæ*; pro lite vel Materia litis, & Philosophi voce *Appetitûs*, pro indigentia Matæ-riæ, & voce *Discursus*, pro Ratiocinatione. Hæc autem facilitas adsciscendi novam significationem inde etiam ex parte proficiscitur, quòd ijs vocibus vrentes, loquantur in illis circumstantijs, quæ si auditoribus sint bene perspectæ, absque vltiore instructione deveniant in illum conceptum novum, ad quem generandum loquens vtitur tali voce. His animadvertis

Possumus imprimis respondere ad objectionem, deinde ad casum ipsum. Ad objectionem quantum necesse est ad defensionem nostræ Regulæ, facilis est Responso, distinguendo sequelam, sequeretur esse invalidum illum Baptismus, si vox illa *Nomen*, per usum illorum Neophytorum, non acquisivit ascriptam Ecclesiasticam significationem, ut significaret etiam auctoritatem, saltem in prolatione illius vocis, concedo sequelam; si verò acquisivit illam ascriptam significationem, nego sequelam. An autem acquisiverit, vel non acquisiverit, est potius quæstio facti quàm juris, & ideo nihil inde præjudicij potest accidere Regulæ certissimæ.

Jam ad Casum ipsum potest responderi, probabiliter illum Baptismus fuisse validum, quia vox illa Tunchinensis, substituta voci latinæ, *In nomine*, acquisivit eundem sensum ascriptum, quem habet apud latinos vox *Nomen*. & significavit etiam auctoritatem ex ipso usu Ministrorum Baptismi, qui loquebantur auctoritate publicâ, tanquam Ministri Christi & Ecclesiæ, quæ pro tali casu utique vult ratificare talem substitutionem.

543. Obijci potest 3. contra secundam Regulam, ex qua sequi videtur, Baptismus Dalmatarum, jam tot sæculis vsitatum, non fuisse validum, vtuntur enim pro verbo, *Baptizo*, verbo *Karstim*, quod videtur derivatum à voce *Karst*, quæ significat Christum, & consequenter *Karstim* significabit: *Christianum facio*, seu *Christizo*: non est autem hujus vocis significatum idem quod vocis *Baptizo*: ergo mutata est significatio vocis à Christo instituta. Responder ad hunc casum Card. de Lugo lib. 1. Moral. dub. 3. (ex informatione quam à docto Dalmata accepit) negando quòd vox *Karstim* significet idem quod; *Christianum facio*. Nam in tota Scriptura S. Dalmatici Idiomatis, semper illa vox vsurpatur ad significandum Baptismus qualemcumque, ut Joannis Baptista: est autem absurdum dicere, illos interpretes ita vertisse, ut qui à Joanne Baptizatus esset, diceretur Christianus factus. Itaque vox *Karstim*, accepit significationem sacram, ut aliud non significet quàm *Baptizo*.

CONTROVERSIA V.

Quomodo error, vel intentio perversa Ministri, circa vocum significationem & usum, possit obesse valori Sacramenti.

544. **N**Otandum 1. Ministrum, nullâ factâ verborum à Christo præscriptorum variatione aut corruptione, posse errare circa eorundem significationem aut necessitatem, item circa Sacramentorum efficaciam. v. g. si existimaret, in forma consecrationis calicis, particulam *Hic*, habere sensum adverbialem, non demonstrativum: item si judicaret aliqua verba, quæ solene in ad-

in administratione Sacramentorum recitari, sed non tanquam essentialiter requisita, si inquam judicaret, illa esse essentialiter requisita, & ad valorem Sacramenti necessaria, v.g. illa verba in consecratione calicis: *Novi & aeterni Testamenti*: vel in absolutione Sacramentali illa verba: *à peccatis tuis*. Denique si existimaret, in Sacramento extremae Unctionis imprimi characterem, vel in Sacramento Ordinis non imprimi.

545. Notandum 2. cum istis erroribus posse à Ministro conjungi intentionem dupliciter. Primò quidem univērsalem & primariam, faciendi & significandi per illa verba, quidquid vult fieri & significari vera Ecclesia, & prout ea Christus instituit, sive suæ private opinioniones veræ sint sive falsæ. Secundò & e contrario, posset habere intentionem restrictam, non consuevendi Sacramentum, nisi Veræ sint suæ opinioniones: & tunc certum est, nihil fieri, ob defectum sufficientis intentionis; quamvis in nullo, ne quidem Hæretico, facile tam malitiosa intentio præsumatur, nisi specialius illam prodat; sed potius præsumitur primaria & univērsalis intentio, absoluta à veritate vel falsitate suæ opinionis privatae, ut patet in Baptismo Hæreticorum, qui pro valido habetur, etiam si Minister erret circa illius efficaciam & effectus.

546. Notandum 3. Posse etiam Ministrum errare variando verba Ecclesiæ, ita tamen, ut adhuc in communi usu & consuetudine retineant verum sensum, & nullum alium, tamen illa Minister aliter intelligat, & putet ex errore, habere alium sensum: v.g. si Baptizaret in nomine Patris Omnipotentis, & Filij Sapientis, & Spiritus S. Paracliti, existimans, hæc attributa esse & significari tanquam singulis personis propria, cum tamen verba sint communia omnibus Tribus. Deinde potest mutare verba, substituendo verba æquivoca; animo inducendi suam erroneam opinionem circa sensum verborum in Ecclesiā: v.g. si Minister ille, de quo consultus fuit Zacharias Papa supra relatus, pronuntiasset *Filia*, pro *Filij*, non ex ignorantia latini sermonis, sed animo hæretico, quo putasset dari in Trinitate Filiam, & voluisset in hoc verborum sensu & non alio baptizare; quo casu illa vox fuisset æquivoca, ut fatetur Lugo & Pallavicinus; nam, ut supra vidimus, in his circumstantiis posset habere significationem veram, & simul etiam posset habere significationem falsam, quatenus ex primæ institutione significat feminam. Pro his & similibus erroribus pono sequentes Conclusiones.

547. DICO 1. Error primi generis in primò Notando relati, non impedit valorem Sacramenti, si simul adsit intentio generalis & primaria, faciendi & significandi per hæc verba, quod per illa intendit significare & facere vera Ecclesia, præcindendo à veritate aut falsitate suæ private opinionis, circa significationem aut necessitatem vocum. Probatur. Intentio non alligata errori, est sufficiens: ista non esset alligata: ergo esset sufficiens. Minor supponitur. Major probatur. Si

non esset sufficiens, ex eo capite non esset sufficiens, quòd non esset conjuncta cum intelligendo verborum: sed hoc non obstat; nam ad valorem Sacramenti non requiritur, ut Minister intelligat vilo modo verba, ut apud omnes certum est.

Confirmatur à simili. Si quis daret prorem, putans esse virginem, quæ tamen est corrupta, valet Matrimonium, etiam si fuerit habuiter ita comparatus, ut si scivisset esse corruptam, non duxisset; quia præsumitur præsentem intentionem non alligasse opinioni suæ de Virginitate: ergo potest intentio absolvi ab hujusmodi opinionis veritate, etiam in administratione Sacramentorum.

548. DICO 2. Quando Minister dicit particularis, de industria prætermittit verbum Ecclesiæ præscriptis, alia substituit æquivoca, & sensum Ecclesiæ, & simul etiam sensum alienum à sensu Ecclesiæ admittunt, & ea proferre et erare in sensu falso, & quidem animo inducendi novum ritum & formam Sacramentalem in Ecclesiā, tunc merito præsumitur, vel certe præsumitur dubium & suspicio est, quòd Sacramentum nullum, ex defectu scilicet intentionis generis proferendi verba in sensu Ecclesiæ, & ideo illud Sacramentum esset iterandum. Probatur. Quoties talis minister præsumitur habere intentionem restrictam & alligatam alieno sensui verborum à intento.

Dixi: talem præsumi, aut saltem suspicari esse, quòd habeat intentionem alligatam. Absolutè enim loquendo posset etiam cum animo inducendi novum ritum in Ecclesiā, proferre intentio primaria generalis & absoluta proferendi verba in sensu Ecclesiæ, si forte verba habeant in Ecclesiā vera alium sensum. Hoc in primis agnovit S. Thomas hic 2. 8. in C. d. 1. [quod si minister intendat alium ritum inducendi, qui non sit ab Ecclesiā receptus, non videtur peccare Sacramentum, quia non videtur quòd intendat facere id quod facit Ecclesiā.] Quibus verbis indicat S. Thomas, posse absolutè & cum intentione inducendi novum ritum cum errore circa verba, stare intentionem generalem & primariam faciendi quod facit Ecclesiā.

549. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ Græcæ, in qua Ministri sunt in eo errore, quòd oblatrentur formam Latinorum, *Ego te baptizo*, non esse legitimam, & ideo utuntur alia: *Baptizamus te in nomine Domini nostri Jesu Christi*, & intendunt hunc ritum inducendum in Ecclesiā totam, neque tamen eorum Baptismus improbat ab Ecclesiā latina: ergo improbat & præsumit Ecclesiā latina, eorum intentionem non esse alligatam illi opinioni, sed potius rid eos velle illa verba proferre in eo sensu, quem habent etiam verba Ecclesiæ latine, licet in vero sensu.

550. Ceterum de aliquo particulari Ministro, habente hujusmodi perveram intentionem inducendi novum ritum (quales non sunt Ministri Græci).

stri græcæ Ecclesiæ, cum observent morem suæ Ecclesiæ) merito præsumeretur defectus generalis intentionis; & ex hoc fundamento Pontifex Zacharias in cap. *Retulerunt*, obiter indicavit, quod si Minister ille non ex ignorantia linguæ latinæ, sed ex intentione inducendi opinionem erroneam, dixisset: *Filia*, pro Filij, baptismus esset iterandus, quia ejus valor dubius esset.

551. Dices. Quin imò videtur potius de tali Ministro præsumendum, quod habeat intentionem generalem & primariam, sicut modò dictum est de Gracis. Non enim apparet vlla ratio, ob quam de tali Ministro cogitandum sit, quod nolit valere Baptismus, si verba non habeant sensum à se intentum, sed alium in Ecclesiæ receptum, ob quem adhuc cum illis verbis valeret baptismus, si velit Minister facere, quidquid per illa verba fieri potest.

Respondeo, duplici modo posse intentionem restringi & alligari ad sensum falsum. Primo, cum expressa reflexione dicendo: si hic sensus non est verus, nolo valere Baptismus, etiam si ob alium sensum valere posset. Hanc perverfam intentionem etiam ego existimo non facile de vilo Ministro præsumi posse aut debere, sed potius præsumendum esse, adesse primariam & absolutam intentionem faciendi quidquid per hæc verba in Ecclesia fieri potest, si Minister reflexè advertat sua verba habere sensum duplicem, & in alio sensu quam suo vsurpari ab alijs, per verba æquivalentia & in Ecclesia recepta.

Itaque secundo modo potest restringi intentio quæ in actu exercito, quem modum restringendi videtur agnovisse Vasquez d. 129. & ex eo Arriaga n. 13. nempe, quando Minister ne quidem per suspensionem cogitat de alio sensu verborum, quàm de illo, quem ipse intendit, dum variat verba Ecclesiæ. In hoc casu reverà prout est cogitare, quod non habeat intentionem primariam & generalem faciendi per ea verba, quidquid in quocunq; sensu per ea fieri potest: ad hanc enim intentionem videtur prærequiri saltem aliqua cogitatio, an non possint verba habere alium sensum, præter sensum à se intentum. Certè ad minimum erit dubium, an talis intentio adfuerit, & probabilius erit non adfuisse, ob rationem allatam. Itaque Minister ille, qui pro *Filij*, dixisset *Filia*, non ex ignorantia linguæ latinæ, sed ex errore, quia opinatus esset, in Deo dari faminam, probabilissimè nec per suspensionem cogitasset, posse vocem *Filia*, habere eundem sensum, quem habet vox *Filij*, ex ruditate scilicet alicujus Ministri. Certè hæc æquivalentia adeo non est intellectu facilis, ut nisi Auctoritas Zachariæ Papæ Theologis ansam dedisset & necessitatem intulisset, hunc sensum altius scrutandi, fortassis plerique cum Episcopo Bonifacio judicassent, formam illam nullum bonum sensum habere: quid ergo mirum erit, si Minister non ignarus linguæ latinæ, nullam suspensionem conceperet de tali æquivalentia & sensu verborum?

552. DICO 3. Quando adjiciuntur post formam Ecclesiæ, alia verba, constituenta sensum falsum, tunc non potest univèrsim dici, quod Sacramentum vitiatur; nec etiam absolute dici potest, quod non vitiatur, sed aliquando vitiabitur, aliquando non vitiabitur, pro diversitate adjectionis factæ. Ita Suarez, Lugo, Dicastillo, Arriaga, qui ultimus tamen à prioribus differt in declaratione Conclusionis. Declaratur Conclusio: Verba aliqua talis sunt conditionis, ut si formæ Sacramentali in fine adjiciantur, totam formam reddant falsam: quare per hujusmodi adjectionem forma est substantialiter mutata, juxta Regulam superius traditam. Alia autem verba sunt talis conditionis, ut etiam si adjiciantur formæ, nihilominus forma secundum se considerata, retineat suam veritatem, & tunc talis adjectio non est mutatio substantialis. Res hæc exemplis declaranda est. Si quis consecraret his verbis. *Hoc est corpus meum æreum*, hoc est, ex aère assumptum, vitiaret formam & veritatem totius formæ, contentæ in prioribus verbis, per solam adjectam particulam; *æreum*. Ratio est, quia priorum verborum veritas & significatio est suspensa apud audientes, donec absolvarer totum prædicatum; atqui *tò æreum*, est pertinens ad prædicatum: falsum autem est, quod corpus Christi sit æreum corpus: ergo illa vox adjecta vitiat veritatem totius formæ præcedentis. Econtra si quis adderet novam & distinctam propositionem, v. g. hæc: *quod pro vobis comburetur; aut capite plectetur*, volens continuare sermonem per diversas propositiones, habentes significationes ab invicem separabiles, tunc non censeretur forma esse vitiata: quia relinqueretur veritas prioris propositionis, non obstante falsitate posterioris: quemadmodum etiam si concionator in fine concionis proferret falsam propositionem, non propterea tota concio diceretur falsa fuisse. Contra hanc explanationem

553. Objicit Arriaga. Etiam illa prior propositio æquivaleret duabus propositionibus, in quas resolvitur potest, nimirum in has: *Hoc est corpus meum quod est æreum*. Econtra secundæ propositio potest contrahi in vnam: *Hoc est corpus meum comburendum*. Ergo inter illa duo exempla nulla est adhuc assignata disparitas: ergo vel in utroque, vel in neutro vitiabitur forma.

2. Exempla allata, si rectè considerentur, esse bona, & esse disparitatem inter illas duas propositiones. Aliquantò enim vox prioribus adjecta, facit ut noster conceptus non terminetur ad illam ipsam entitatem in specie vel individuo, ad quam terminaretur, si illa vox non esset adjecta. Declaratur in exemplo. Si mihi dicas: *Sub hac cortina latet homo pictus*, vox *Pictus*, prioribus adjecta, facit ut meus conceptus non feratur directè in verum hominem, sed in picturam, & ideo in rei veritate non est illa propositio æqualis duabus propositionibus, neque bene resolveretur hoc modo. *Sub cortina latet homo, & ille*

Bbbb

est

est pictus. sed melius resolvitur: *Latet pictura hominis*. Verum ut abstineamus à trivis Logicis, an possit resolvi in duas propositiones: certum est, & hoc mihi sufficit, meum conceptum, auditis illis vocibus, non ferri directè in verum hominem, sed tantum in obliquo, tanquam in terminum picturæ. Econtra si diceret: *Ibi latet homo doctus*, meus conceptus ferretur in verum hominem, qui ex se est indifferens ad esse vel non esse doctum: & tunc illa propositio æquivaleret duabus, quarum prior posset esse vera, posterior falsa, nempe si ibi lateret homo, qui non esset doctus: æquivaleret enim his: *ibi latet homo*, & *ille est doctus*, vocaturque huiusmodi propositio à Logicis: *de tertio adjacente*. Hoc observato

554. Dicendum est, quòd quando vox adjecta formæ Sacramentali, ita alienaret sensum & conceptum, ut significaret conceptum alterius omnino rei, quàm sit illa, quæ significatur per formam Sacramentalem, seclutà illà voce adjectà, tunc nullum fieret Sacramentum: quia verba formæ non retinerent debitum sensum & significationem. Vnde vox Corpus, quando prædicatur de Corpore hominis, prout fit in hac propositione: *Hoc est corpus meum*: est aliquo modo æquivoca: si enim nihil adjiciatur, supponit pro corpore organico: si verò adjiciatur vox, *æthereum*, supponit pro aëre taliter condensato, ut exterius assimiletur corpori organico: ac proinde propositionis sensus esset: *hoc est aër à me instar corporis assumptus*. Ecce! per hanc propositionem non significatur verum Christi corpus, neque audientes conciperent illud corpus, quod defacto habet Christus: ergo per talem formam non fieret Sacramentum, quia sensus formæ est penitus alienatus.

Econtra, per hanc propositionem: *Hoc est corpus meum pro vobis submergendum*, capitur pro *submergendum* &c. Non alienaretur significatio vocis *Corpus*: sed adhuc generaret conceptum illius ipsius corporis, quod Christus habet, etiam in propositio, quatenus æquivaleret huic: *quod pro vobis submergetur*, sit falsa: vnde tali adjectione non impediretur Sacramenti confessio.

Confirmatur. Si quis baptizaret hac forma: *Ego te baptizo hac frigida*. (ponamus aquam esse calidam) nemo, credo, in dubium vocaret ritum talis Baptismi: atqui non valeret, si non esset frigida, manet tamen vera forma, quatenus consistit in verbis: *Ego te baptizo*. Pari modo manet verum: *hoc est corpus meum*: etiam si sit esse submergendum.

555. Quæres, utrum valeret baptismus hac formâ collatus: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Virginis*. Ad hoc respondet S. Thomas distinguendo adjectio B. Virginis intelligatur, quod nec auctoritate B. Virginis, sicut auctoritate SS. Trinitatis, non valet, si verò ita intelligatur, ut tantum significet invocationem B. Virginis, valet. Alii tamen sine distinctione, absolute respondent non valere, quia in eadem periodo non potest esse *in Nomine*, habere duplicem sensum, sed semper in eodem sensu accipiendum est: cum ergo valorem baptismi requiratur, ut significet auctoritatem Sanctissimæ Trinitatis, quæ non est communis B. Virgini, jam falsificatur tota forma, quia significatur auctoritatem chymericam.

C A P V T III.

DE SACRAMENTORVM VIRTUTE ET EFFECTIBVS.

CONTROVERSIA I.

An, & in quo sensu differat Gratia Sacramentalis à non Sacramentali.

556. **G**ratia Sacramentalis dicitur, quæ confertur per Sacramentum, Gratia non Sacramentalis, quæ confertur extra Sacramentum, per actus meritorios. Illa prior dicitur conferri ex opere operato, posterior ex opere operantis. Pro quo discrimine intelligendo,

Supponendum est, fructus conducentes ad salutem æternam, dupliciter obtineri posse, scilicet vel ex opere operantis, vel ex opere operato. Ex opere operantis tunc dicitur aliquid obtineri, quando fructus commensuratur operi operantis, tanquam præmium, secundum operis meritum, tanquam præmium, seu condignum seu congruum. Ex opere operato

dicatur obtineri effectus, quando datur ultra mensuram meriti nostri, ita quidem, ut in largitione talis effectus, non attendatur ratio meriti quā talis. Per hoc tamen non negatur, quod in adultis requiratur aliqua dispositio, facienda per actus supernaturales, Fidei, Spei &c. ut Catholicis affingit Lutherus, sed solum asseritur, quod ultra illud quod intuitu talium actuum intervenientium datur in primum, detur aliquid amplius, intuitu Sacramenti, cum tali dispositione positi, prout magis declarabitur cum agemus de dispositionibus requisitis ad consequendum fructum Sacramentorum.

557. Dicendum est 1. Singula Sacramenta causare Gratiā Sacramentales, sibi quā tale Sacramentum in specie est, proprias ac specialiter respondentes. *S. Thomas q. 62. a. 2.* Colligitur hæc Veritas imprimis ex diversitate Sacramentorum, & ex fine huius diversitatis. Videmus enim diversas res esse assumptas ad diversa Sacramenta, habentes diversum modum significandi Gratiā sanctificantem, nempe per modum Ablutionis, Confortationis, Nutritionis &c. attendit naturali quadam proportionem quæ illis inest, in qua consistit Symbolizatio superius explicata, vi cuius significant specialem effectum spirituales. Præterea ipsæ Formæ Sacramentales significant aliquam diversitatem Gratiarum, ut patet, v. gr. ex forma Diaconatus, ubi dicitur: *Accipe Spiritum S. ad resistendum Diabolo & Tentationibus ejus.* & sic de alijs. Cum ergo diversa Sacramenta ad diversos fines & effectus ordinantur, & quidem tanquam signa practica, debent hi effectus diversi esse diversa Gratiā, ut patet ex definitione Sacramenti novæ Legis.

558. Questio est, in quoniam hæc diversitas consistat, utrum in aliquo prædicato intrinseco & essentiali, an in denominatione extrinseca, superaddita Gratiæ sanctificantis, seu gratum facienti.

Paludanus, Capreolus, & quidam alij docuerunt, Gratiā Sacramentalem esse quandam qualitatem ex intrinseco prædicato, specie distinctam à Gratiā Gratum faciente, qualis extra Sacramentum acquiritur; & hanc qualitatem dixerunt aliud non esse, quam quandam ornatum animæ. Sed hæc sententia jam exolevit.

Alij docuerunt, pro diversitate Sacramentorum ultra Gratiā gratum facientem, infundi specialem quandam habitum, ordinatum ad certos actus, ad quos obtinendos ordinatur talis species Sacramentorum. v. g. in Confirmatione infundi habitum supernaturalem productivum fortis Confessionis fidei. &c.

559. Dicendum tamen est 2. nullos huiusmodi speciales Habitus infundi virtute Sacramentorum. Probatur. Gratiā Gratum faciens, etiam quæ extra Sacramenta confertur, est radix omnium habituum supernaturalium, sufficientiū ad quosvis huiusmodi actus eliciendos: ergo superflui essent alij habitus ab his distincti. Patet Consequentia. Nam habitus supernaturales sunt

velut potentia in anima: atqui ad eosdem specie actus non dantur diversa potentia, ergo nec diversi Habitus.

560. Dicendum 3. Gratiā Sacramentalis à non Sacramentali nihil penitus differt, si consideretur præcisè quoad substantiam seu essentiam suam, nempe in quantum est donum supernaturale per se infusum, permanens, & tribuens jus ad vitam æternam: adeoque est ejusdem rationis & speciei cum gratia quæ confertur extra Sacramentum, considerata præcisè illā entitate quæ infunditur animæ, & est ex se qualitas permanens. Brevissimè dicuntur illæ Gratiæ non differre substantialiter. Probatur. Gratiā Sacramentalis facit cum gratia non Sacramentali intentionem Gratiæ in ordine ad plures gradus Gloriæ: ergo est ejusdem rationis.

561. Dicendum 4. Tota differentia consistit in denominatione extrinseca: nempe, illa Gratiā est Sacramentalis, quæ per Sacramentum est obrenta, & illa est non Sacramentalis, quæ est extra Sacramentum obtenta. Ratio, quia majori differentia non est opus, ut jam declarabitur. Itaque

562. Obijciat. De Gratiā Sacramentali & non Sacramentali verificantur prædicata contradictoria: ergo inter se differunt etiam substantialiter. Probatur antecedens. Gratiā Sacramentalis affert specialia quadam & abundantiora auxilia, in certa Materia, Gratiā non Sacramentalis non affert huiusmodi specialia auxilia: ergo &c. R. Distinguo antecedens. Verificantur contradictoria fundata in prædicato intrinseco Entitati Gratiæ, nego, in aliquo extrinseco ipsi Entitati Gratiæ, concedo. Quando itaque dicitur, Gratiā Sacramentalem præbere Titulum & Jus, seu condignitatem specialem ad specialia auxilia in tempore oportuno conferenda, hic Titulus & Jus non est quoddam intrinsecum prædicatum ipsi Entitati Gratiæ, sed est denominatio extrinseca, proveniens inde, quod hic gradus Gratiæ gratum facientis, provenit à tali Sacramento, ordinato ex sua institutione ad tales effectus, & talia auxilia in specie obtinenda, cum alioquin Gratiā non procedens à tali Sacramento, non nisi indeterminatè & generaliter ad auxilia sufficientia jus præberet.

563. Declaratur magis. Tamen omnis Gratiā gratum faciens, vndeunque proveniat, sic ex intrinseca sua perfectione destructiva omnis peccati mortalis quoad culpam, non tamen est destructiva totius reatus pœnæ correspondentis tali peccato: quatenus tamen Gratiā est collata per Baptismum, qui ordinatus est ex sua institutione ad regenerationem spiritualem, extinguit non tantum reatum culpæ, sed etiam totius pœnæ. Item quia baptismus est janua Sacramentorum, Gratiā pro ut per baptismum collata, specialiter secum affert auxilia ad alia Sacramenta dignè recipienda suo tempore. Item Gratiā ut collata per Sacramentum Pœnitentiæ, affert fortiora auxilia ad efficacius derelictanda & fugienda peccata

Bbbb 2 commissā,

commissa, & ad satisfaciendum pro illis, quia hoc Sacramentum ordinatur ad resurgendum à lapsu post baptismum commissio. Eucharistia, quia ordinatur ad vitam spirituales conservandam & augendam, ideo Gratia per illam collata, præbet titulum ad specialia auxilia actuum frequentiorum devotionis & charitatis, & sic de alijs.

564. Dices. Si Gratia sanctificans habet hanc exigentiam præcisè per denominationem extrinsecam, sequitur, Gratiā ex se non magis conferre illa auxilia, quàm si assumptus esset lapis aut lignum: quia proveniret ex mero libero arbitrio Dei, quod etiam posset fieri cum lapide aut ligno. hoc autem videtur absurdè dici. *ꝛ.* Negando sequelam & paritatem. Lapis enim & lignum nullam penitus habent exigentiam auxiliorum ordinariarum. Gratia verò de se exigit in genere auxilia ad resistendum cuivis tentationi, & ad bene operandum in quavis materia occurrente: Quapropter quando datur à Deo Gratia propter Sacramentum, datur ex speciali intentione talium auxiliorum, in tali materia. Sicut, exempli gratiā, filiatio legitima tribuit filio jus ad hereditatem paternam, saltem quoad legitimam. Quodsi Princeps faceret legem, ut primogenito ultra legitimam aliquid relinquendum esset, ratio filiationis utique non se haberet merè impertinenter ad illud augmentum, quamvis jus ad illud augmentum esset accidentale filiationi ut sic, posset enim hic ipse esse filius, & tamen non esse primogenitus.

565. Replicabis. Saltem excessus ille auxiliorum non provenit ab intrinseca proportionione Gratiæ: ergo saltem ille excessus non aliter debetur Gratiæ, quàm deberetur ligno, adeoque merè ad libitum. *ꝛ.* Negando Antecedens. Gratia enim exigit dari auxilia talia & tanta, quantis aliquis dignus est. porro, cum quis possit esse dignus majoribus auxilijs, non tantum intrinsecè per gratiam, sed etiam extrinsecè per meritum Christi applicationem, ut fit per Sacramentum, ideo Gratia habet etiam intrinsecam proportionem cum talibus auxilijs.

CONTROVERSIA II.

*Utrum repugnet, Gratiā sanctificantem
causari à Sacramentis influxu physico
per Potentiam Obedientialem.*

566. DE modo causandi Gratiā, est celebris controversia, vtrum nimirum Sacramenta causent Gratiā influxu effectivo physico, an solum Morali. Aliqui existimant, influxum moralem non sufficere ad defendendam excellentiam Sacramentorum novæ legis supra antiqua Sacramenta, & etiam ex alijs capitibus rejiciunt, & astruunt influxum physicum: pro quo supponunt, dari in creaturis potentiam obedientialem activam. Alij existimant, hanc potentiam obedi-

tialem repugnare, & vel ex hoc fundamento potant sufficienter probari, quod Sacramenta tantum moraliter influant. Alij denique docent, quod etiam si concedatur potentia obedientialem ex alijs tamen capitibus non sit Sacramentum obediendum influxus physicus, sed tantum moralis. Primò ergo videndum est, an potentia obedientialis repugnet, & an ex hoc capite negandum sit Sacramentis influxus physicus.

567. Conveniunt Catholici DD. primo, quod detur Potentia obedientialis passiva, debilis ad recipiendam & sustentandam aliquam formam in genere causæ materialis, non productionem per causas naturales, sed tantum per causas supernaturalem. Probatur ex Mysterio Incarnationis. Humanitas enim Christi elevatur ad sustentandam Unionem hypostaticam, quæ est supernaturalis: deinde anima hominis, & substantia Angelorum, recipit & sustentat Gratiā, Characterem, alijsque habitus supernaturales.

568. Conveniunt 2. Quod detur etiam aliqua Potentia obedientialis activa. Datur enim in anima rationali & Angelis potentia obedientialis ad elicendos per elevationem actus supernaturales, qui cum sint vitales, debet immediate influere ipsum principium vitale, ut habet expressissima sententia in nostris scholis, quam etiam amplectuntur plures Thomistæ, teste Ovando.

569. Controversum est, vtrum detur potentia Obedientialis Universalis in omnibus creaturis, ita ut possit elevari ad quodlibet producendum, saltem quod educibile est ex potentia passiva, & ubi non est specialis repugnancia: non vtrum Creatura possit elevari ad creandum, et specialis difficultas, huc non pertinet: ut quæritur, an Corpus Christi existens in Eucharistia, possit elevari ad educendam Gratiā sanctificantem ex anima.

Prima sententia negat. Ita Vasquez, Nugua, Conink, Alarcon, Gaspar Hurtadus, Petrus Pallavicinus, Esparza.

Secunda affirmat. Ita imprimis S. Thomas, in 4. dist. 8. q. 2. a. 3. ad 4. ubi distinguens potentiam passivam ab activa, veramque adnotat his verbis. [Sicut creatura inest obedientia potentia, ut in ea fiat quicquid creator disposuit, ita etiam, ut ea mediante fiat, quæ est ratio instrumenti.] Loquitur autem ibi S. Thomas de Transubstantiatione faciendâ per verba Consecrationis. S. Thomam sequuntur Thomistæ communiter omnes. Ex nostris verò tenent Suarez, Molina, Valentia, Albertinus, Ruiz, Arrubal, Genadus, Præpositus, Tannerus, Hentius, Bonnus, Ripalda, Petrus Hurtadus, Lugo, Arriaga, Comptonus. Ego, re diu considerata, scilicet relectis omnibus, quæ RR. ingeniosè pro negativa sententia excogitarunt (quorum vnumqueque relictis aliorum fundamentis nova sublimata non potui tamen, etsi maxime vellem, animam inflectere ut illis assentiret.

570. DICO 3. Haecenus non apparet repugnantia huius Potentiae Obedientialis, & insuper potest positivis argumentis admodum probabiliter suaderi. Prima pars Conclusionis solutione argumentorum, altera pars deinceps per plures paragraphos probabitur. Conclusio habet pro se magnum pondus ex S. Augustino lib. 3. de Trinit. c. 8. & 9. ubi hanc potentiam obedientialem vocat occultum semen Dei. Deinde de Genesi ad litt. sapius docet, creaturas esse habiles per causales rationes non solum ad effectus naturales, sed etiam admirabiles & miraculosos, & lib. 9. de Gen. dicit, Potentiam hanc esse incompletam, fieri tamen completam per applicationem Dei. Nunc pro ea argumenta afferamus.

§. I.

Primum argumentum desumptum ex virtute inchoata ad gradum entis.

571. Argumentor ergo 1. Ad omnem illum effectum potest elevari creatura, ad quem producendum habet virtutem inchoatam: sed omnis creatura, saltem naturaliter activa, habet virtutem inchoatam ad quidvis aliud producendum, nisi specialis repugnantia obstat: ergo datur potentia obedientialis activa, qualem asserimus. Dixi: nisi specialis repugnantia obstat: huiusmodi repugnantia est, ob quam nulla res potest seipsam producere: hoc enim non provenit ex defectu potentiae obedientialis, quia repugnat in potentia quacunque, alioquin maxime connaturali & proportionata. Majorem argumenti concedunt adversarii. Quia nisi hoc sufficeret, nulla daretur penitus potentia obedientialis activa, ne quidem ad actus supernaturales. Minor probatur. Virtus inchoata, in qua consistit potentia obedientialis, non est aliud, quam quaedam proportio inter effectum & causam, sive inter effectum quem tale agens potest naturaliter producere, & inter effectum ad quem potest elevari, atqui inter creaturas est haec proportio: conveniunt enim in hoc, quod utrumque sit ens finitum, ens producibile: haec autem videtur omnino sufficere, ut virtus dicatur ad talem effectum esse inchoata, sicut secundum adversarios sufficit, quod volitio & intellectus naturalis & supernaturalis conveniant in ratione volitionis & intellectionis, ad hoc, ut noster intellectus & voluntas dicatur habere virtutem inchoatam ad intellectionem & volitionem supernaturalem. Probo minorem, & paritatem. Proportio inter potentiam intellectivam & cognitionem naturalem ex una parte, cum cognitione supernaturali ex altera parte, haec est, quod cognitio naturalis & supernaturalis conveniant in praedicto generico cognitionis, & vitalitatis intentionalis: atqui effectus naturaliter producibilis à corpore Christi v. g. calor, habet etiam ejusmodi proportionem cum qualitate supernaturali, v. g. cum Gratia

sanctificante, quia calor & Gratia conveniunt in praedicto generico Qualitatis, accidentis, educibilis &c. ergo sicut illa prior proportio sufficit, ut intellectus dicatur habere virtutem inchoatam, & sit elevabilis ad producendum actum supernaturalem, ita sufficiet posterior.

572. Ad hoc argumentum ita respondent adversarii, ut planè suspectos se reddant, quod nisi fide cogerentur admittere potentiam obedientialem ad actus supernaturales, stando in rationibus naturalibus, negarent etiā illam: in quo quidem non habeo quod reprehendam: mihi tamen satis est, quod illa veritate fidei supposita, per consequentiam doctrinae sit facienda extensio ad ulteriorem potentiam obedientialem.

573. Respondent ergo primò: non quancunque proportionem, & in quocunque gradu remoto, sufficere, sed requiri proportionem in proximior gradu. Sic nempe lubet divinare. Contra virgo 1. si semel concedendum est, posse creaturam elevari ad producendum unum gradum & formalitatem sibi improporcionatam, hoc est, vires naturales excedentem, non apparet amplius repugnantia, cur non ad ulteriorem & remotiorem gradum & formalitatem possit elevari. Contra 2. & peto ab adversariis, quantae propinquitatis debeat esse gradus ille proportionis, ut possit causa improporcionata ad ulteriorem gradum producendum elevari? Non quidem debet esse constitutus in specie infima, ut per se patet, jam enim nulla restaret improporcion, & certum est, actum naturalem & supernaturalem in hoc ipso praedicto differre specie: ergo sufficit proportio in gradu generico, nempe quod conveniant in genere cognitionis humanae ut sic. Quaro ulterius, utrum hic gradus genericus deberet esse generis infimi? sed neque hoc dici potest: Nam intellectio humana ut sic, non est genus infimum, quia intellectio humana naturalis ut sic, est etiam genus, sicut etiam intellectio supernaturalis est genus, & quidem etiam non sunt genera infima, sed valde subalterna, utpote continentia sub se iterum plura genera cognitionum, v. g. Genus apprehensionis, enuntiationis, affirmationis, negationis, obscurae, evidentis &c. quae etiam sunt genera subalterna. Ergo adversarii nullum planè gradum determinare possunt: ergo manifestè gratis fingunt unum sufficere, alium non sufficere. Præterea propinquior gradus genericus est, in quo conveniunt Equus & Leo, quam sit gradus, in quo conveniunt cognitio naturalis & supernaturalis, ut manifestum est. ergo equus, qui est productivus alterius equi, erit sufficienter proportionatus (jure propinquitatis) ut elevetur ad producendum leonem, quod tamen negant adversarii fieri posse: ergo proportio non requirit certam propinquitatem.

574. Responderi posset 2. Requiri talem proportionem, ut effectus exigit produci à tali causa. Porro, omnes cognitiones supernaturales exigit produci à principio naturali vitali, non

Bbbb 3

item

item Leo exigit produci ab equo. Verum hæc responsio reddit pro ratione disparitatis, quod est in questione. Quod enim possit causa elevati ad effectum exigentem produci ab illa, est propositio nimis quàm evidens ex terminis. Quæritio autem præfens est, utrum possint duo connecti per actionem tanquam causam cum effectu, quorum neutrum exigit tali modo connecti, sicut Humanitas Christi & Verbum connectuntur per vñionem hypostaticam, quorum neutrum exigit connecti cum altero per vñionem. Brevius. Quæritur, cur non possit dari actio productiva Gratiæ, exigens procedere à corpore Christi, licet corpus Christi, non exigit illam actionem, nec gratia exigit procedere per talem actionem?

1757. Confirmatur. Hæc consequentia non est bona: [Intellectio naturalis exigit procedere ab anima, agente tanquam causa naturali: ergo anima non potest virtute naturali producere vllum effectum, nisi qui exigit procedere ab illa: Potest enim anima producere impulsu in lapide, qui non exigit procedere ab anima, sed posset etiam ab alia causa procedere: ergo nec hæc consequentia est bona. Intellectio supernaturalis exigit procedere ab intellectu seu anima, adjuncta principio supernaturali: ergo intellectus seu anima non potest producere vllum effectum per elevationem, nisi qui exigit procedere ab illa. Quodsi mihi respondeant, fidem non cogere nisi ad admittendum illum obediencialem effectum, qui exigit produci à principio vitali, jam fatentur, quòd nisi fide cogerentur, nec illum effectum admitterent: hoc autem non est ostendere repugnantiam, sed ad summum est ostendere, quòd non sit tanta necessitas extrinseca admittendi hanc vniversalem potentiam obediencialem, quanta est admittendi illam restrictam, quod vltro damus. Hæcenus argumentum commune, quo vtuntur auctores nostræ sententiæ. Deinceps afferam argumenta deducta ex quibusdam principijs, quibus vtuntur ipsimet adversarij, tum hæc tum alibi, & sic ad hominem saltem vim habebunt.

§. II.

*Argumentum secundum, deductum ex Mi-
raculis quibusdam.*

576, **A**rgumentor 2. Christus Jo. 9. ex terra & limbo fecit lutum, tanquam aliquid maxime aduersum visui, & linivit super oculos cæci, sicque visum restituit. Item Eliæus propheta immisso in amaras aquas sale, dulces ac potabiles reddidit. 4. Reg. 2. cùm alioquin sal debuisset angere amaritudinem. Ibidem cap. 6. in-
jecto in fluvium ligno, fecit vt securis in flumen delapsa enaretur. Ex quibus exemplis colligunt interpretes Scripturæ, Deum in patrandis miraculis solere adhibere res maxime contrarias illis effectibus ad quos producendos adhibet, ad ostendendam scilicet potentiam suam.

577. Card. Pallavicinus agnoscit huiusmodi
plis evinci, quòd Deus non merè ad præsentiam
harum rerum solus effectum produxerit, sed quia
Deus illufiler videntibus, dum vellet videre
huiusmodi rebus, tanquam instrumentis ad pro-
ducendos effectus miraculosos, ad quas tamen
recepta nihil pertinerent. Ex quo fundamēta-
liter solet rejici sententia Gabrielis, afferentis, in
omnibus productionibus solum Deum agere ad
præsentiam rerum quæ vocantur Causæ, hoc po-
situm infero : ergo illi effectus producti sunt
per potentiam obedientialem Iuri, sibi soli

Respondet Card. Pallavicinus, videntur
in quolibet corpore, præsertim mixto, esse
quædam vim, quæ saltem partialiter possit produ-
cere ad omnem effectum corporum, per produc-
tionem vel primarium qualitatum, vel alterius quæ-
litatis occultæ, vel per impulsus locales, vel quæ-
dam simile. Deus autem potuit supplere alteram
partem virtutis necessariæ, idque vel per concurren-
tiam suæ potentia, vel per aliquam qualitatem esse-
ntiæ modi rebus impressam.

578. Hæc tamen responsio mihi non satisfacit. Nam, vt nihil dicam, quod ligno rubeo partialem virtutem magneticam trahendi ferri, & sic de cæteris, & quod Deus ad hæc miracula perpetranda non potuisset assumere potum elementum terræ aut aquæ &c. his inquam diffusis & transmissis, non saluatur tamen hæc ratio, quomodo Deus non illuderet spectatores, perinde sicut illuderet histrio, qui foris similes, ponderosissimum saxum fursum trahi à deo summo puero, occulte autem vir robustissimus saxum tolleret, puero non nisi levissimè concurrente. Itaque spectatores illorum miraculorum inducti sunt ad iudicandum & admirandum miraculum, quod Deus rebus adeo contrariis fieri possit ad quidvis efficiendum : ergo si illis illud non est, sed rectè iudicant, necesse dicendum est, non exiguum aliquam lætationem mundi virtute naturali concurrere, sed totum cooperari fuisse vt instrumentum assumptum.

§. III.

Argumentum tertium, deductum ex Perfectione divina.

179. **A**rgumentor tertio, ex principio quo Pallavinus vitur ad probandam potentiam obedientiale passivam: & est hujusmodi. Nec Deo, nec creaturis est tribuendum aliquod predicatum, de quo dubitamus, verum duri necesse nisi sit tale, vt ad perfectionem Dei pertineat illud dari; quo posito infert Pallavinus imperium n. 194. Dari potentiam obedientiale passivam.

Pertinet enim ad perfectionem
possit rebus dare aliquid melius per favorē
quàm illis conveniat per Naturam. Infertur
Sacramentis à Deo imprimi aliquam qualitatē
supernaturalem, non quæ producat (hoc enim
plures dixerunt) sed quæ exigat à Deo Gratiam
producat

produci in subiecto. Hinc ego pro potentia obedientiali activa sic argumentor. Si ad perfectionem Dei pertinet, posse per favorem Sacramentis supra naturam eorum imprimi qualitatem exigentem productionem Gratiae, & hoc ideo, quia hanc qualitatem habere, est melius, quam quod illis convenit per naturam, tunc etiam, & multo magis pertinebit ad perfectionem Dei, posse per concursum extrinsecum elevare ad agendum. Nam sicut *Agere* est perfectius, quam *passibile* exigere ut ab alio agatur, ita cedit ad maiorem commendationem Sacramentorum, si ipsa agant.

§. IV.

Argumentum 4. desumptum ex Dominio Dei.

§80. Argumentor 4. Ex eodem contra eundem Auctorem. Ad perfectionem Dei pertinet, ut in creaturis appareat hæc perfectio Dei: *Dominari in aliis, & posse liberè uti alijs rebus ad suum placitum.* Sed si ponatur potentia obedientialis activa, jam optimè in creaturis apparet hæc perfectio Dei, & ex communi sensu fidelium Deus in eo miraculorum genere, de quo sermo fuit in secundo argumento, censetur hanc perfectionem vel maximè velle manifestare; e contra si potentia obedientialis activa non ponatur, non ita apparet: ergo potius est ponenda quam non ponenda. Major est Pallavicini n. 178. Minor quoad primum membrum est clara, quoad secundum membrum, probatur: quia secundum Pallavicinum deberet Deus semper attendere ad aliquam latentem virtutem naturalem, quæ esset connaturalis causis partialis: imò ad effectus spirituales non vitales nullâ creaturâ posset uti Deus: ergo non posset creaturis uti pro libitu, sed cum maxima restrictione.

§. V.

Argumentum 5. desumptum ex manifestatione specialis perfectionis divinæ.

§81. Argumentor iterum ex eodem auctore contra eundem. Illa perfectio rectè tribuitur creaturis, quæ servit ad manifestandum aliquod prædicatum Dei, quod alioquin non appareret, ut docet Pallavic. n. 179. indeque deducit, congruum fuisse, ut darentur creaturæ activæ, quæ non essent cognoscitivæ, sic enim relucet illa divina perfectio: *posse benefacere alteri sine ulla acquisitione felicitatis propriæ, sed omnem effectum ordinare ad felicitatem alterius.* Subsumo, atqui potentia obedientialis activa servit ad manifestandum prædicatum in Deo, quod cæteroquin non appareret in creaturis: ergo datur. Minorem probō. In Deo est perfectio maxima, posse simul & semel facere contraria, nec esse alligatum uni contrariorum: atqui hoc prædicatum in nul-

la potentia naturali creaturarum apparet, bene autem apparet in potentia obedientiali activa, quatenus assumi potest à Deo ad opposita, id quod eleganter expressit Rex Salomon Sap. 16. dicens: [Creatura enim tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos, & lenior fit ad benefaciendum illis qui in te confidunt.]

Quin imò Potentia obedientialis ostendit illam divinam perfectionem, quæ est: posse alteri Benefacere non attendendo vllum suum commodum. Hanc perfectionem non manifestant agentia non intellectiva, v. g. ignis, ut putabat Pallavic. nam ille producendo alium ignem, maximè intendit commodum suum, nempe conservationem speciei, imò & defensionem sui individui, & sic de alijs. Potentia Obedientialis verò huiusmodi commodum non intendit. Invenitur ergo manifestatio Perfectionis divinæ in Potentia obedientiali, quam Pallavicinus alibi quæsit, & non invenit.

§. VI.

Solvuntur Objectiones.

§82. Obijcit Pallavicinus 1. Id quod, si existeret, esset amabile tantum in ratione Medij, toties existeret frustra, quoties daretur aliud Medium indefectibile, ab eo distinctum, & æquè efficax in ordine ad eundem planè finem: ex: gratia, si ego haberem calamum inamissibilem & optimum, frustra esset mihi, habere duos calamos in ordine ad hunc finem, qui est: *me scribere.* sed hæc potentia obedientialis activa esset huiusmodi: ergo esset frustra. Minor probatur. Nam tota bonitas huius potentie esset in ratione Medij, ad hoc nempe, ut Deus posset ponere talem effectum, v. g. producere gratiam in suscipiente Sacramentum; sed Deus in ordine ad hoc habet suam omnipotentiam indefectibilem & efficacissimam: ergo hæc virtus obedientialis esset in creaturis tale Medium, quale descriptum est in maiore propositione primi Syllogismi. Major ultimi Syllogismi probatur. Nam tota utilitas actionis & potentie activæ, præcindendo ab hoc quod est, *dari effectum*, consistit vel in hoc, quod per actionem agens perficiatur primò & per se, sicut contingit in operationibus vitalibus, & de his non est præsens quaestio; vel in hoc, quod per varias actiones creaturarum eluceat in causis varia participatio entitativa perfectionis divinæ, & hoc bonum non haberetur in illa virtute obedientiali, quippe communi omnibus rebus, ac proinde non indicante specialem naturam & perfectionem: ergo hæc potentia respectu Dei esset purum Medium in ordine ad ponendum effectum. Ita ille.

§83. R. Transeat major, nego minorem: ad cuius probationem transeat iterum major, nego minorem, ex duplici capite. Primò, quia jam ostendimus in quinto argumento, hanc potentiam obedientialem servire ad manifestandam specialem

specialem perfectionem Dei, non minus quam alia predicata creaturarum quae Pallavicinus admittit. Neque obstat, quod haec potentia sit transcendens & generalis, hinc enim male infert Pallavicinus, quod non indicet specialem perfectionem Dei. *Aliud enim est, non indicare specialem; & aliud: non indicare specialiter.* in quo æquivocat, sumens unum pro alio, cum sint diversa. sic hoc predicatum Dei: esse ens primum & independentes, cognoscitur ex generali predicato, transcendente omnes creaturas. Item potentia obediens passiva est generalis ex mente Pallavicini, & tamen, ut ex ipso retulimus §. 5. servit ad indicandam specialem perfectionem Dei.

§84. Secundò, negatur iterum minor. Nam etiamsi potentia obediens nullam specialem perfectionem Dei ostenderet, non propterea haberet puram rationem Medij, realiter loquendo. Ratio est, quia potentia obediens non consistit in aliquo predicato realiter distincto à ceteris essentialibus predicatis creaturarum activarum, sed illa transcendit, & cum illis identificatur: ergo si cetera predicata habent aliam utilitatem præter puram rationem Medij ad faciendum effectum, jam etiam realiter loquendo hanc ipsam utilitatem habet potentia obediens. Neque est necesse, ut eam habeat ut formaliter distincta (si tamen distingui potest) à ceteris predicatis, quia provenit ex necessitate materiae, ut philosophi loquuntur. Potest ergo minor distinguui. Haberet puram rationem Medij, si assereretur esse distincta ab omni virtute naturaliter activa, transeat, secus, negatur.

§85. Objicit Pallavicinus 2. De conceptu omnis causae, tam principalis quam Instrumentalis, est, eò perfectiorem ipsam judicari, quod concurrat ad perfectiores effectus: ergo si daretur Potentia obediens activa, cresceret perfectio cujuslibet creaturae, cum quadam illimitatione, per ordinem ad perfectiores effectus, quos posset producere sine termino. R. 1. Hoc Argumentum omnibus esse solvendum in elevabilitate intellectus ad perfectiorem & perfectiorem cognitionem, hoc est ad cognitionem seu visionem perfectiorum & perfectiorum creaturarum in Deo sine fine & termino: quocunque modo hanc illimitationem explicaverit Pallavicinus, & conciliaverit cum limitatione perfectionis intellectus, eadem ratione nos conciliabimus. R. 2. Distinguendo antecedens: loquendo de causa naturali quā tali, hoc est, considerata in ordine ad terminum, quem non exigit producere, sed præcisè non repugnat, nego, vel subdistinguo tam antecedens quam consequens: cresceret perfectio illius secundum id quod importat in recto, nego, secundum id quod importat in obliquo, concedo. Hoc enim aliud non est, quam ipsissima Omnipotentia Dei, & hæc est infinita & illimitata, & ab hac denominatur creatura formaliter & absolute elevabilis.

§86. Objicit Pallavicinus 3. De ratione omnis effectus est, esse aliquo modo indicatæ causae, & ideo effectus excitat curiositatem, utpe desiderium inveniendi ipsum Causam: quæ posulat simul aliquam viam ad ejusmodi investigationem, & hanc curiositatem multo magis excitant effectus supernaturales: ergo debent pendere a causa quam aliquo modo possint indicare per specialem proportionem cum illa, quæ specialem proportionem nulla est in effectu potentia obediens.

Hoc argumentum imprimis ipsi Pallavicinus specialiter, deinde omnibus alijs solvendum est, & quidem facilem habet solutionem. Solutum est, inquam, in specie Pallavicinus: dicit enim ipse, ut supra retuli, Deum defectu continere Sacramentis qualitatem Supernaturalem, quæ physicè exigit infusionem Gratiæ, tamen Gratia sanctificans secundum se non potest infundi cum præsuppositione & ad exigentiam talis qualitatis: porro, hæc qualitas secundum Pallavicinum, est causa physica, non quæ physicè producat Gratiā, sed physicè ergatur, ut ipse loquitur: & tamen hæc qualitas non infunditur à Gratia sanctificante tanquam suo effectus: quis enim hactenus istam qualitatem ex ratione Gratiæ deprehendit vel suspicatus est? Deinde omnibus solvendum est argumentum, quod omnes concedunt, quod Deus possit divinam supplere concursus causam naturalem: quæ si falsa est propositio Pallavicini, quod non obicitur indicet illam causam à qua procedat, ergo, effectum esse quidem indicatorem causae à qua connaturali viā petit procedere: verum, hujus causae tantum est indicatio tacita conditione: Nisi Miraculose per ipsum factum. itaque solum indicat hoc prædicatum: Effectus hic & nunc possum connaturaliter per istam causam procedere, quidquid sit ad defectu præcedere ab habitu fidei, & tamen quando infunditur ad fidem convertitur, non procedit ab habitu fidei. Pari modo cum Gratia sanctificans connaturaliter petat procedere à solo Deo, si Deus naturaliter petat procedere à solo Deo, si Deus elevaret Corpus Christi ad illam productionem, non deberet Gratia hanc causam elevare obviare, quia non est causa illius connaturalis: hæc sunt argumenta à Card. Pallav. objecta potentia obediens.

§87. P. Martinus Esparza reliquos argumentis Pallavicini, sic objicit. Deus & Natura non faciunt frustra: ergo nulla datur Activitas rebus creatis, quæ non possit naturaliter reduci ad actum secundum in aliquo suo effectu: si vero actum secundum in aliquo suo effectu, cum tantum naturalem Activitatem fecisset Natura, cum tantum Naturam seu naturaliter non posset reduci ad ullum actum. Hoc supposito subsumit. Insuper talis esset activitas defectu existens, si defectus potentia obediens productiva cujuslibet naturæ dū rationem specificam. Manifestum namque est, nullam causam creatam existeret defectu.

eius propria virtus activa possit connaturaliter exerceri & reduci in actum secundum circa quaslibet species effectuum. Experientia enim constat, vnamquamque causam habere ex sua natura Sphæram determinatam activitatis, ultra quam connaturaliter progredi non possit. Neque dici potest, rationem differentialem specificam cuiusvis ex his effectibus, in ratione differentiali specifica cuiusvis alterius vllatenus contineri, cum sint adequatè inter se diversæ. Quare exercitià activitate alicujus causæ circa rationem specificam alicujus sui effectus connaturalis, non propterea vel etiam æquivalenter redigeretur in actum secundum activitatis ejusdem circa quosvis alios indiscriminatum effectus, secundum rationem specificam eorum. Ita ille. Posset, nisi fillor, terminis clarioribus totus objectionis nervus ita proponi. Si daretur Potentia Obedientialis activa universalis, deberet illa habere activitatem respectu differentia specificæ adequatè distinctæ ab illa, quam talis entitas naturaliter potest producere. Sed hoc est falsum: nam alia differentia, vtpote simplices & indivisibiles, non continentur vlllo modo æquivalenter in illa differentia naturaliter producibili à tali entitate, v.g. differentia lapidis vel leonis specificæ, non continentur in differentia frigoris, quod potest aqua naturaliter causare: multo minus differentia Gratiæ sanctificantis in illa continetur: ergo si daretur potentia obedientialis in aqua baptismali ad producendam gratiam, ejusque differentiam specificam, respectu hujus differentia esset activitatis, quæ naturaliter nunquam posset reduci in actum secundum: ergo esset frustra: ergo nec datur nec dari potest à natura: daretur autem à natura si existeret, quia quidquid habet entitas aquæ, habet à natura, vtpote Ens totaliter naturale.

§88. R. 1. Retorquendo totum argumentum dupliciter. & quidem primò ex Potentia obedientiali passiva, inter quam & activam fateatur Esparza esse quoad hoc punctum omnimodam paritatem. Si discursus adversarij legitime concluderet, pariter probari posset, quod Humanitas Christi non sustentaret Unionem Hypostaticam, nec anima rationalis aut Angeli Gratiam sanctificantem: vtrumque est falsum. Sequela probatur. Quia talis potentia obedientialis passiva esset frustra: nec enim posset vnumquam naturaliter redigi in actum secundum respectu differentia specificæ Unionis hypostaticæ & Gratiæ, vtpote quæ secundum hunc auctorem sunt simplices, & non continentur æquivalenter in differentijs illarum formarum, quas Humanitas potest Naturaliter sustentare.

Retorqueo 2. In potentia obedientiali intellectiva & volitiva. Hæc enim elevatur ad producendum actum intellectualem supernaturalem, & tamen differentia specifica actus supernaturalis non continetur æquivalenter in actibus intellectualibus Naturalibus: ergo talis potentia

obedientialis esset frustra, quia nunquam naturaliter redigeretur in actum respectu differentia supernaturalis.

§89. Conatur Adversarij ad hoc respondere negando paritatem. [Ratio enim, inquit, specifica vltima actuum supernaturalium coalescit ex duabus differentiis non subalternis invicem. Vitalitas namque propria Visionis beatæ, est ipsi communis cum omnibus actibus naturalibus, quibus supernaturalitas non est communis. Supernaturalitas verò propria ejusdem visionis, est eidem communis cum habitibus supernaturalibus, & cum unione hypostatica, quibus non est communis vitalitas, ac proinde neutra formalitas est subordinata alteri, sed vtralibet respectu alterius se habet disparatè secundum se. Idem evenit in ceteris omnibus formalitatibus specificis, tam Visionis Dei, quam cæterorum actuum supernaturalium, nulla enim in eis reperitur formalitas indivisibilis, quæ se solâ sit tota ratio differentialis, quæque sit metaphysicè subordinata cæteris omnibus ejusque actus prædicatis, sicut rationale subordinatur Animali, & Animal Viventi. &c.]

§90. Hæc responsio non satisfacit. Imprimis supponitur in ea aliquid apertè falsum, nempe quod differentia specifica Visionis Dei, sit composita adequatè ex his duabus formalitatibus, vitalitate & supernaturalitate. hoc, inquam, est falsum. Nam ambæ hæ formalitates reperiuntur in actu fidei, & omnibus actibus supernaturalibus voluntatis, qui non sunt Visio Dei. Ergo est aliud vlteriùs prædicatum assignandum pro differentia Visionis Dei. Nimirum, differentia Visionis Dei est: quod sit actus intuitivus Dei. Quia verò cognitio quâ Deus seipsum cognoscit, est etiam actus intuitivus Dei, ideo dicendum, quod differentia Visionis creatæ sit composita ex prædicato seu formalitate *Creaturæ*, & *Intuitionis Dei*. & hinc concedo, quod noster intellectus possit aliquam formalitatem differentia Visionis Dei per virtutem naturalem producere, nempe formalitatem *Creaturæ*, quæ continetur etiam in effectu naturaliter producibili ab intellectu creatore. Hinc jam vlteriùs ostenditur, quod vnaquæque creatura activa, possit in quacunque creaturarum specie, ejusque differentia, aliquod prædicatum seu formalitatem producere. Nam omnis differentia specifica creaturæ, debet necessariò formaliter includere conceptum & formalitatem *Creaturæ*: omnia enim reliqua prædicata ab hoc præcisa, non sunt adhuc adequata differentia illius speciei, quia nondum faciunt eam differre ab omni alio specie distincto, nempe non faciunt differre à Deo: atqui differentia adequata debet esse talis, quæ faciat differre ab omni alio: ergo formalitas *Creaturæ*, debet in omni differentia specifica creata includi. Cum ergo ex concessione Adversarij tunc detur potentia obedientialis activa ad producendam aliam speciem naturaliter non producibilem, quando in differentia illius

Cccc

tia illius

CONTROVERSIA III.

*Utrum Sacramenta caussent Gratiā
physicē, vel tantum moraliter.*

tia illius speciei formaliter includitur prædicatum seu formalitas, quæ etiam reperitur in effectu naturaliter producibili, & ego ostenderim, omnem differentiam creatam includere formalitatem *Creaturæ*, sine qua non est adæquatè distincta ab omni alio, nempe à Deo, in quo sunt omnes perfectiones simpliciter simplices, adeoque omnia alia prædicata præcindibilia à prædicato *Creaturæ*; ideo concluditur, dari potentiam obedientialem uniuersalem.

591. Taceo, quòd fundamentum aduersarij plus probet, quàm ipse velit. Ex ejus enim fundamento probari potest, quòd intellectus Petri possit eleuari ad producendam intellectiōem in intellectu Pauli, quòd tamen aduersarius negat. Sequela patet. Nam intellectus Petri potest in seipso producere non solum inadæquatè, sed adæquatè, differentiam specificam illius cognitionis, quia cognitiones Petri & Pauli possunt esse ejusdem speciei. Nunc

592. Respondetur directè ad argumentum ex dictis. Negando quòd talis potentia esset frustra, & quòd nunquam reduceretur in actum secundum naturaliter. Cùm enim, ut vult aduersarius, tunc dicatur reduci in actum secundum naturaliter, quando producit aliquam formalitatem differentia illius, quam non potest totam producere naturaliter, hoc ipso omnis potentia obedientialis actiua tunc reduceretur in actum secundum, quando produceret suum effectum conaturalem, qui continet æquivalenter formalitatem *creaturæ*, inclusam in altera differentia. Ratio vltima est. Ad hoc ut potentia obedientialis, prout à Natura datur, non sit frustra, satis est, quòd possit naturaliter producere effectum primarium à Natura intentum per Virtutem Naturalem talis entitatis actiua: neque necesse est, posse naturaliter reduci in omnem actum sibi quomodocunque possibilem, ut patet in potentia obedientiali passiva, & actiua intellectuali. Neque hæc potentia intenditur à Natura in ordine ad alios terminos, sed tribuitur ex necessitate Materie.

593. Itaque à primo ad vltimum, sicut potest Perfectio Supernaturalitatis produci ab intellectu creato, non obstante, quòd intellectus careat hac perfectione, quia sufficit, quòd contineat aliam formalitatem inclusam in differentia actus supernaturalis, ita poterit Corpus Christi eleuari ad producendam Gratiā sanctificantem, quia licet non contineat formalitatem supernaturalitatis, continet tamen formalitatem *entis creati*, quæ licet comparata ad Deum sit imperfectio, comparata tamen ad Chymeram, est perfectio. Et hæc de potentia obedientiali.



594. VIdimus, Potentiam obedientialem probabiliter non deesse ad causandum physicè Gratiā. Inquirimus jam, an deest illam eleuet, vel an alio sensu dicantur Sacramenta causare Gratiā. In quo puncto quæramus sententias.

595. Prima sententia est, Sacramenta causare physicè gratiam, non per meram extrinsecam elevationem, sed per aliquam intrinsecam qualitatem transeuntem, supernaturalem, habentem naturalem proportionem cum Gratiā, tanquam cum effectu, cujus sit causa instrumentalis, ita tamen ut cum illa qualitate etiam immixta fluat Entitas Sacramenti, sicut cum Lumine Gloriæ influit intellectus in Visionem Dei, vel cum habitu in actum fidei. Ita P. Dicaſtillo disp. 2. dub. 6. n. 214. citans Paludanum Capricornum, Ferrarientem, Alenssem. Card. de Lugo sentit, quòd si Sacramenta physicè influerent, quod ipse negat hæc sententia tenenda esset.

596. Secunda sententia est Card. Pallavicini lib. 6. c. 16. à n. 215. desumpta ex Nomenclatis P. Antonij Perez; in Sacramentis esse aliquam plus causalitatis, quàm habeat causa pure naturalis aut mera conditio, minus autem quam habeat causa physicè influens. Pro cuius declaratione advertit, in ijs quæ physicè determinant res ad existendum, esse triplicem gradum: alia in se existentiam illius rei; alia per suam perfectionem exigunt illam, sed non influunt: alia neque influunt neque exigunt, sed sunt id quo potius aliquid aliud influit, aut exigit, ut sunt conditiones. Ad secundum genus pertinent Causæ physicae minus propriae, v. g. Pater respectu filij, Gratia respectu habituum supernaturalium & auxiliorum. Vult itaque Pallavicinus, Sacramenta pertinere ad hoc genus causæ, nempe Sacramentis imprimi qualitatem supernaturalem, relativam ad præteritam promissionem Dei, & ratione hujus exigere physicè & metaphysicè Gratiā produci à divina omnipotentia, eoque determinare ad ipsius Gratiæ collationem. Hanc qualitatem vult Auctor esse in omnibus partibus Sacramenti. Vult item existere in actibus mentis, in Humanitate & Passione Christi, quia in Sacramento valido & informi, quibus omnibus à Scriptura & Concilijs tribuitur efficacia ad justificationis. Denique infert, Sacramenta ideo esse instrumenta Dei, quia per ea Deus determinat suam omnipotentiam ad producendum Gratiā in bonum non ipsorum Sacramentorum, sed alterius.

597. Tertia sententia est, Sacramenta causare physicè Gratiā per potentiam obedientialem extrinsecè elevatam. Ita Suarez, Bellarminus.

quod, Bannez, & videtur in eam propendere S. Thomas q. 62. a. 1. quamvis pro quarta etiam citetur a. 4. ad. 3.

598. Quarta sententia docet, Sacramenta tantum moraliter causare Gratiā quoad suam substantiam. Ita Canus, Ledesma, Molina, Vasquez, Conink, Lugo, Arriaga, Compton, & RR. communiter.

§. I.

Rejicitur 1. Sententia.

599. DICO 1. Non datur qualitas supernaturalis, elevans intrinsecè, & influens physice in Gratiā. Probat Pallavicinus Conclusio-nem. Gratiā est quādam quasi naturā superna-turalis, atque adeo est nobilissima qualitatum possibilem, alioquin alia nobilior agnoscenda esset in Christo, quā proinde posita fuisset in ejus anima radix Gratiæ, quod nemo Theologorum sentit: quia Gratiā non esset in nobis prima & radicalis participatio Naturæ Divinæ, si alia qualitas prior inveniretur, à qua posset ipsa Gratiā emanare: ergo illa qualitas Sacramentalis non posset esse Nobilior Gratiā: sed neque posset esse ignobilior Gratiā, nam causa ignobilior non potest producere effectum Nobiliorem se. Quod si dicas, illam qualitatem esse causam instrumentalem Dei, & ideo posse esse imperfectionem effectui, verget Pallavicinus, quia ad rationem causæ instrumentalis requiritur, ut agat in bonum causæ principalis. atqui nulla creatura agit in Bonum Dei, sed potius vice versā, Deus operatur in bonum creaturarum: ergo Deus non potest habere instrumentum physicum.

600. Confirmat argumentum. Quia licet accidens possit esse instrumentum substantiæ in productione substantiæ, quā est ignobilius, atamen respectu alterius accidentis id esse non potest. Discrimen est, quia licet accidens sit causa substantiæ in uno genere, est tamen illius effectus in alio genere: scilicet in genere causæ finalis, quæ est perfectior Medijs: at verò vnum accidens (exceptis intentionalibus) non est causa finalis alterius, & ideo non potest esse ignobilior causa suo effectui qui etiam sit accidens. Hæc Pallavic.

601. Imprimis ego non perspicio, quomodo hæc cohereant cum ejusdem Auctoris verbis, supra ex eodem relatis. Dixerat enim in explicatione suæ sententiæ, quod Sacramenta sint Instrumenta Dei, quibus Deus determinat omnipotentiam suam ad producendam Gratiā, non in Bonum Sacramentorum, sed suscipientis: quomodo ergo modò dicit, nullum posse dari Instrumentum respectu Dei, & omne Instrumentum debere operari in bonum Causæ Principalis, nullam autem creaturam posse operari in bonum Dei? Ad argumentum ipsum responderent adversarij, quod illa qualitas esset ignobilior Gratiā,

neque esset Radix illius, quia esset qualitas transiens, Radix autem debet ad minimum habere tantam stabilitatem, quantum habet fructus.

Ad illud quod addebatur, vnum accidens non esse causam finalem alterius, & ideo non posse causam accidentis esse ignobiliorem suo effectui, hoc, inquam, assumitur pro fundamento probationis, quod adversarij diserte negant; dicunt enim, Gratiā esse causam finalem illius qualitatis, quæ dari non potest nisi in hunc finem, ut obtineatur Gratiā. Hæc ergo probatione, & quibusdam alijs sepositis,

602. Probatur Conclusio, & rejicitur illa qualitas operativa generalibus argumentis, quibus tertiam sententiam impugnabimus. Deinde contra illam specialiter sic argumentor.

Virtus causativa Gratiæ est de essentia Sacramenti, & illius quā talis constitutiva, ut ex communi tradit Lugo *disp. 3. de Euch. s. 1. n. 38.* & constat ex definitione Sacramenti quod sit signum practicum: atqui si daretur hæc qualitas, non esset constitutiva Sacramenti: ergo Virtus Sacramenti non consistit in huiusmodi qualitate. Minor probatur 1. ex Sacramento Eucharistiæ, quod est Sacramentum permanens: adversarij verò ponunt hanc qualitatem transientem, & quæ tunc primum & solum existat, quando gratia producit: unde quando Sacramentum est validum & informe, non ponitur talis qualitas. Hinc probatur minor 2. Quia Sacramentum validum & informe est completum Sacramentum, & tamen non constituitur per hanc qualitatem: ergo hæc qualitas non est pars constitutiva Sacramenti. Probat 3. Quia, ut fatentur adversarij, Deus posset supplere concursus hujus qualitatis per concursus extrinsecum: atqui in illo casu esset totum Sacramentum, Deus autem non potest supplere partem constitutivam vllius rei. Ergo &c.

603. Probatur Conclusio 3. Hæc qualitas vnicè asseritur à suis auctoribus, quia putant eam esse necessariam, ut consulatur dignitati Sacramentorum in causanda gratia: atqui ad hoc non est necessaria: ergo nec asserenda. Minor probatur. Si hæc qualitas daretur, ideo daretur, quia debita esset Sacramentis ratione suæ dignitatis: ergo Sacramenta exigerent illam propter suam dignitatem: ergo ut sic essent causa illis qualitatis: ergo si Sacramentorum dignitati satis consultum est, si dicatur, quod causent hanc qualitatem non per physicum influxum, sed per solam exigentiam illius, pari modo satis consultum erit, si dicatur, quod ipsam Gratiā sanctificantem causent per exigentiam illius, absque superaddita qualitate physice influente.

§. II.

Rejicitur Qualitas Relativa & Exactiva Gratiæ.

604. DICO 2. Virtus causativa Sacramentorum non consistit in qualitate supernaturali,

Cccc 2

turali, Metaphysicè exigente productionem Gratia. Probatur Conclusio 1. Argumento ultimo paulò antè factò, quod contra hanc qualitatem adhuc fortius procedit. Nam Qualitas activa licet non sit necessària ut consulatur dignitati Sacramentorum, serviret tamen ad hoc, ut Sacramenta possent propriè & simpliciter dici; Sanctificare physicè: nam hoc significat actionem physicam, aliquo modo procedentem ab eo, quod denominatur Sanctificare: atqui Qualitas purè exactiva Gratia, non posset hanc denominationem prestare, quia nec ipsa qualitas produceretur physicè à Sacramentis, neque Gratia produceretur physicè à Qualitate: ergo major est ratio negandi hanc quàm priorem qualitatem.

605. Probatur Conclusio 2. ad hominem. Docet enim Card. Pallavicinus, hanc qualitatem recipi in omnibus partibus Sacramenti. Infero. Ergo ipsa Qualitas non est pars constitutiva Sacramenti, quia supervenit toti collectioni partium. Sublimo. atqui virtus, causativa Sacramentorum est constitutiva Sacramentorum: ergo Qualitas hæc non potest esse virtus Sacramentorum.

606. Probatur Conclusio 3. Omnis existentia physica est prædicatum quoddam secundum, (ut sapius inculcat ipse Pallavicinus) supponens aliud primum, ratione cuius illi entitati bona est illa res, cuius dicitur habere existentiam: atqui Gratia quæ datur v.g. Petro intuitu Sacramenti, non est bona illi qualitati, utpote quæ non existit in ipso Petro, sed in partibus transeuntibus Sacramenti, cum quibus & ipsa qualitas transit: ergo non datur qualitas habens talem existentiam.

607. Confirmatur ex P. Esparza [Stulta enim, inquit, est petitio (qualis est omnis existentia) destituta omni ratione petendi: experientia enim docet, nos non impelli ad petendum aliquid, quod ratione conditionis nostræ nullo modo nostra interest produci vel non produci: quis enim prudenter petat à Deo, ut in profundo terræ vel maris, quod nemo mortalium vquam perventurus est, producat massam optimi auri? multò minùs censenda est natura huiusmodi appetitiones instituire per appetitus innatos: atqui huiusmodi appetitio esset illa qualitas exigens productionem Gratia in suscipiente Sacramentum, ut consideranti patet.]

608. Confirmatur ulterius, inductione per alias exigentias, quæ tum à Philosophis tum à Theologis admittuntur, in quibus semper apparet ratio exigendi. Pater mediante virtute seminali exigit produci filium: utique patris interest habere filium, in quo species conservetur. Gratia sanctificans exigit in suo subiecto produci habitus supernaturales: utique interest Gratia, (quæ in ordine supernaturali est quasi Natura,) & etiam subiecti, cui gratia inexistit, habere suas potentias ad eliciendos actus sibi & fini suo proportionatos, & sic de alijs exigentijs. Cùm ergo

Qualitas, de qua est sermo, nullam huiusmodi rationem exigendi Gratiam habeat, ut collatum est, repugnat eam dari.

§. III.

Rejicitur Elevatio extrinseca Sacramentorum.

609. DICO 3. Sacramenta non elevati per extrinsecum concursum ad producendam Gratiam. Probatur Conclusionem Card. de Lugo hoc modo. Non omnes partes Sacramenti, utpote successivè existentes, possunt physicè influere, sed tantum ultimum terminatum atque sic totum Sacramentum potius dicetur naturaliter influere, cùm totum reliquum non moraliter concurrat: non enim illud quod preterijt, componit vnum ens physicum, & per hoc cum ultima syllaba.

Scio, adversarios hoc argumento non moveri, primò quia totum se fundat in modo loquendi. Fatentur ergo, totum Sacramentum esse causam moralem Gratia, sed non tantum esse causam moralem, sed simul etiam physicam, quia potest enti morali & artificiali tribui actio physica, etiam si tantum vna illius pars induat, ut circumstantia aliud requirant. Sic dicuntur exercitus oppugnasse & expugnasse civitatem, tamen si forte minima pars manum admovent. Quidquid ergo sit de hoc argumento.

Probatur Conclusio sufficienter ex fundamento generali, quòd Miracula non sunt admoda sine necessitate, & virgente causa: nulla autem est virgens necessitas asserendi, Sacramenta assumi & elevari ad producendam Gratiam, quæ ex natura sua exigit à Deo solo producti regulam.

§. IV.

Proponitur verior sententia de modo quo Sacramenta causant Gratiam, & solvuntur Objectiones.

610. DICO 4. Sacramenta tantum moraliter influere in Gratiam, non quid commutatas condiciones, sed excellentiore modo, tribuendo exponendo. Probatur solutione Objectionum.

Obijcit P. Dicastillo 1. testimonium S. Pauli ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum.* Vnde sic argumentatur. Deus ut causa physica effudit Gratiam per Christum & Baptismum: atqui causa physica non dicitur operari per causam moralem, à qua movetur ad operandum, sed potius econtra, causa moralis dicitur operari per causam physicam: ergo si Deus gratiam producat per Christum & Baptismum, debet utique causam esse physicam. Minorem probat exemplum. Nam ille qui ex consilio aut præcepto alium occidit, non dicitur illum occidere per causam

causam consulentem aut præcipientem, sed econtra. Vnde etiam Deus non dicitur in executione conferre Gloriam per Merita, sed propter Merita.

611. Ad hoc argumentum imprimis responderet aliquis ex doctrina quam tradidi in 1. libro, negando quod Deus moveatur à Sacramentis ad producendam gratiam, sed quod Deus ordinet Sacramenta ad Gratiam, sicut ordinat merita ad præmium, & sicut rectè dicitur per merita procurare præmium, etiam si merita non influant physicè in præmium, ita poterit dici procurare Gratiam per Sacramenta, etiam si Sacramenta non influant physicè in Gratiam. Cæterum abstinendo nunc ab hoc, aliter respondeo.

612. Imprimis quidem argumentum nimium probat, & omnibus est solvendum. Certum enim est, multos accipere Gratiam per baptismum non quando confertur, sed quando, remoto obice, reviviscit: tunc autem non potest esse causa physica Gratiæ, & tamen de tali baptismo est etiam verificandus ille textus S. Pauli: ergo quocunque modo explicabitur pro his casibus, poterit pro omnibus.

613. R. 2. Distinguendo minorem. Causa physica non dicitur operari per moralem à qua movetur, si hæc secundum ipsam rationem movendi non est illius ipsius causæ physice effectus, & quidem in eum finem positus, ut moveat ad effectum physicè ponendum, transeat minor: secus, nego minorem: atqui merita Christi & Baptismus sunt effectus & beneficia Dei, & quidem in hunc finem posita, ut Deus ab illis moveretur ad gratiam nobis conferendam: ergo rectè dicitur Deus per hos ipsos effectus suos nobis conferre Gratiam, etiam si merita & Baptismus tantum moraliter influant. Falsum itaque est, quod univèrsim illud per quod Deus aliquid facere dicitur, non sit etiam id, propter quod id facere dicitur. Sic Deus verissimè dicitur nobis conferre Gloriam æternam, & per nostra merita, & propter eadem nostra merita. Sic Ecclesia ferè omnes orationes & petitiones terminat his verbis: *Per Dominum nostrum &c.* quorum sensus est: *Propter merita Christi.* Ergo, nisi quis ita ineptiat, ut dicat, Christum elevari physicè ad omnia beneficia, quæ illius intuitu nobis conferuntur, fatendum est, Deum quoque rectè dici per Sacramenta conferre Gratiam, etiam si Sacramenta non eleventur, ut physicè concurrant.

614. Obijciunt 2. & quidem præcipuè auctoritas Sanctorum Patrum, asserentium, Sacramenta causare gratiam, mundare &c. qui modi loquendi videntur sonare physicum influxum. Hoc argumentum varijs modis validè retorquetur. Priusquam autem retorsiones referam, placeat examinare testimonium S. Ambrosij lib. 1. de Sacramentis c. 5. in quo mirè triumphant P. Dicastillo & Pallavicinus, arbitantes, non posse nisi de physica causalitate intelligi, quem tamen locum Autores nostræ sententiæ non declarant,

Verba S. Patris ita se habent. [Non sanat aqua (in baptismo) nisi Spiritus S. descenderit, & aquam consecraverit.] Ecce! aqua debet consecrari, utique non aliter quàm imprimendo qualitatem sanativam, hoc est productivam, vel saltem exactivam Gratiæ: Neque enim potest descensus Spiritus Sancti aliter intelligi, quàm per operationem exercitam in aqua.

615. Auctoritas hæc non potest terrere nisi eum, qui totum caput S. Ambrosij non perlegerit. Mihi sapius & attentè illud perlegenti, evidens est, S. Patrem nihil de Qualitate adversariorum dicere cogitasse. Recenset S. Pater totam historiam antiqui testamenti, de sanato Naaman à lepra per immersionem in Jordanem, deinde quarit, quid hoc significet? Respondet his verbis. [Vidisti aquam: sed non omnis aqua sanat, sed aqua sanat quæ habet Gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus Sancti est.] Nota, quod operationem soli Spiritui Sancto tribuat. Pergit deinde, & incipit loqui de Institutione Baptismi Christi, quando Christus fuit à Joanne baptizatus in Jordane (cujus figura erat illa sanatio Naaman) [non sanat, inquit, aqua, nisi Spiritus S. descenderit, & aquam illam consecraverit, sicut legisti, quod cum Dominus Jesus Christus formam (id est ritum) baptismatis daret (hoc est institueret) &c. & ecce! quasi columba Spiritus S. descendit.] Hæc S. Ambrosius: ex quibus apertè constat, de quo descensu loquatur, nempe de præterito, non de futuro, de illo scilicet in specie columbæ. Sensus itaque S. Patris planissimus est, quod aqua, quæ in baptismo adhibetur, non sanaret à peccato, nisi à Christo fuisset baptismus institutus, annuente Spiritu Sancto, cujus opus est Sacramentorum institutio, nam omnia beneficia specialiter Spiritui Sancto tribuuntur, & specialius illa Gratia, quæ tribuitur in Baptismo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* Itaque Spiritus S. dicitur aquam consecrassè tunc, quando vnà cum Patre & Verbo Baptismus instituit, ac promissit Gratiæ collationem intuitu talis Cæremoniæ debito modo applicatæ. Hæc autem consecratio tam parum significat immutationem physicam aquæ, aut qualitatis impressionem, quàm parum per ejusmodi qualitatem immutantur Ecclesiæ, Altaria, Calices, Oleum, &c. quando consecrantur ritu ab Ecclesia instituto. Nunc ad retorsiones veniamus.

616. Retorquetur itaque argumentum ab auctoritate Patrum desumptum 1. Sancti Patres loquuntur univèrsaliter & eodem modo de emundatione per baptismum, quandocunque & quomodocunque ea fiat: & tamen sæpè non potest hæc emundatio fieri per physicum baptismi influxum in Gratiam: ergo si in his casibus possunt & debent Patres intelligi non de physica, sed tantum de morali causalitate, possunt univèrsim de illa intelligi. Minor patet in Baptismo va-

Cccc 3

lido

lido & informi, ac postmodum remoto obice reviviscere, de quo loquitur S. Augustinus lib. 3. de bapt. c. 3. & Auctor sermonis de Passione Christi apud Cyprianum. Quando ergo Patres tribuerunt Sacramentis vim sanctificandi, non fuerunt solliciti de specifico modo cauſandi, an sit physicus vel moralis, sed abstraxerunt; eorum enim institutum erat, Myſteria fidei populo explicare, non scholasticas quaestiones definire.

617. Retorquetur 2. Scriptura & Patres eodem modo tribuunt vim cauſandi vtrique parti Sacramentorum, Materiae & Formae, & tamen non facile vnquam fit, & est moraliter impossibile fieri, vt vtrique pars simul & semel in eodem instanti terminetur, adeoque simul concurret physicè, praesertim in Sacramento Pœnitentiae, vbi confessio iam praeteriit quando fit Absolutio, & in Sacramento Eucharistiae &c. Si ergo Patres quoad vnâ partem possunt ac debent intelligi de sola cauſalitate morali, eodem modo poterunt intelligi quoad vtramque partem.

618. Responder P. Dicastillo, sufficere quoddam vna pars Sacramenti physicè influat, vt totum denominetur influere. Sed contrâ, & hoc bene notandum est, quando Patres loquuntur de Baptismo, semper nominant aquam, eamque dicunt mundare etiam tunc, quando forma tardiùs absoluitur quàm ablutio: atqui hic modus loquendi foret ineptus & falsus, si per emundationem intelligerent physicam cauſalitatem Gratiae, & tamen aqua secundum se non influeret physicè: sicut ineptè diceretur de aliqua parte exercitus v.g. de Legione A. quoddam illa physicè ceciderit hostem, si tamen illa physicè nunquam congressa fuisset, sed tantum pugnae astitisset, alia legione manus & arma conferente: ergo si Patrum locutiones essent intelligendae de physico influxu, ea non satis defenderentur esse verâ, dicendo, quoddam saltem alterutra pars Sacramentorum influat physicè.

619. Retorquetur argumentum 3. Scriptura & Patres etiam passim dicunt, Sanguinem, Passionem & Mortem Christi nos mundare, iustificare &c. vtrique non nisi moraliter: sic etiam dicunt Sacramenta esse plena sanguine Christi, ex quibus hauriantur aqua salutis: sicut ergo hæc continentia est merè moralis, ita etiam efficiencia erit merè moralis. Hac retorsione pressus Pallavicinus, posuit suam qualitatem etiam in meritis & sanguine Christi: sed nunquid etiam poni poterat in morte, quæ est dissolutio seu ablutio vñionis? & tamen dicimur etiam per mortem Christi iustificari.

620. Retorquetur 4. Viri sancti dicuntur eadem phrasi patrare Miracula, dare sanitatem, quando hæc impetrant suis meritis & precibus: an propterea dicemus hæc fieri per physicum eorundem influxum?

Retorquetur 5. Homo per peccatum & finalem impenitentiam dicitur esse causa suae perditionis: nunquid & hic dabitur qualitas exigens

damnationem, aut physicè influens in terram ternas, procedens ab ipso peccato praeterito.

Retorquetur 6. & vltimò. Quia multi tres videntur quandoque satis aperte physicum influxum Sacramentis negasse, dum dicunt, solum Spiritum S. ad Sacramenti exhibitionem sanctificare, prout ex S. Ambrosio tenet. S. Augustinus in Epist. 23. ad Bonifacium. [Aqua] requirit, exhibens extrinsecus Sacramentum Gratiae, & Spiritus S. operans intrinsecus beneſicium Gratiae, solvens vinculum culpæ, reconcilians hominum naturam regenerant (ita legendum est, & non regenerans, vt vult Lugo) hominem Christi. Ecce! S. P. tribuit generationem vtriusque, videlicet Sacramento & Spiritui S. sed cum dicitur, quoddam aqua regeneret exhibendo Sacramentum extrinsecus, Spiritus S. verò intrinsecus operans ipsam Gratiam.

Ad objectionem ergo respondent, Sancti non tribuisse Sacramentis influxum physicum, sed abstraxisse, vt iam dictum est.

621. Obijciunt 3. Si Sacramenta nra non agunt physicè, sed solum moraliter, non videntur aliud esse quàm quoddam conditio sine qua non: sicut est denarius plumbeus Regis, quod habito datur alicui pecunia ex voluntate Regis, atqui Sacramenta non habent se merè hoc modo, sed melius comparantur securi respectu iustitiae, vt tradit S. Thomas q. 62. a. 1. in C. r. Bernardum, dicentem in sermone de Causa Domini: [Sicut] in vestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per anulum, &c. divisiones Gratiarum diuersae sunt iudicio Sacramentis.]

62. 1. S. Thomas merè rejicit illa exempla S. Bernardi, quia sunt mera signa speculativa potestatis collata. Nummus plumbeus est etiam merè signum speculativum Regis voluntatis, quæ deinde voluntas movet Ministrum & administratorem pecuniae, ad solvendam pecuniam. Rectè etiam S. Thomas comparat Sacramenta potius securi, non quidem quoddam debent physicè concurrere, sed cum debita proportionem, quæ in hoc consistit, quoddam securis, ad hoc vt feriat tanquam idoneum instrumentum, debet in se habere quandam aptitudinem & acuitatem sciendum. Sic ergo instrumentum morale, vt differat à mera conditione, debet in se habere aliquam virtutem movendi causam principalem ad aliquid faciendum: hanc autem habent Sacramenta, quorum virtus aliud non est, quàm merita Christi illis applicata, vt tradit S. Thomas a. 5. in C. his verbis. [Manifestum est, quod Sacramenta Ecclesiae, specialiter habeant virtutem ex passione Christi, cuius virtus quoddammodo nobis copulatur per (susceptionem Sacramentorum).] Præterea Sacramenta sunt etiam quoddam actus Christi, dignificata ab illius institutione atque suo nomine, & hanc institutionem atque autoritatem includunt tanquam partem constitutivam, quæ vtrique est dignitas apta movere non minus

quàm merita, sicque plurimum differunt à putis conditionibus. sed hæc infrà magis declarabuntur.

622. Obijciunt 4. Si Sacramenta nostra tantum moraliter causant Gratiā, nihil planè prærogativæ habent supra Circumcisionem: nam ex communiore opinione, per Circumcisionem conferebatur Gratiā parvulis ex opere operato. Etiam hoc argumentum adversariis solvendum esse, si comparetur Circumcisio cum Sacramento reviviscente, quo casu Baptismus adhuc nobilior modo concurret ad productionem Gratiæ quàm Circumcisio, & tamen non causat per physicum influxum: ergo potest inter Circumcisionem & nostra Sacramenta agnosci discrimen in causando gratiam independentem à physico influxu. Respondetur nunc directè negando sequelam, quia ad summum dici potest, quòd Circumcisio fuerit conditio, & non causā strictiùs sumpta, juxta discrimen paulò post explicandum. Dixi: ad summum. Nam inferiùs de hoc ipso disputabitur, an fuerit saltem conditio conducentis ex opere operato, & hoc ipsum negabitur, sicque obiectio nos non concernet. Nunc ergo explicemus discrimen inter Conditionem & Causam Moralem strictiùs & Theologicè sumptam.

S. V.

Explicatur discrimen inter Causam Moralem, & Conditionem.

623. A Tralimus in hujus rei declarationem exemplum nummi plumbei. Nunc superaddemus aliud, quod proponit Card. de Lugo. Dominus mandat servo, ut quoties audierit cantantem gallum, det elemosynam. In hoc casu cantus galli est conditio, imperium Domini est causā moralis. Quæritur in quo consistat ratio Causæ moralis, ejusque differentia à mera conditione, quæ quidem videri posset esse quæstio de nomine, sed reverà fundatur in reali discrimine, quod admodum servit ad ostendendum, nihil derogari excellentiæ Sacramentorum, si illis denegetur ratio Causæ physica, & tribuatur ratio Causæ moralis.

624. DICO itaque. Ex illis rebus, quæ obiectivè movent aliquam causam, ad aliquid physicè efficiendum, datur discrimen in modo movendi, propter quod unum vocatur Causā, alterum verò Conditio. Illud vocatur Causā Moralis strictiùs loquendo, quod operantem movet ratione alicujus dignitatis & excellentiæ, in quam fertur, & à qua quodammodo excitatur affectus causæ illius quæ movetur ad physicè operandum. Illud verò est mera conditio, quod non movet ratione hujusmodi dignitatis & excellentiæ in se repectæ, sed ut conjunctum cum alio talem dignitatem habente, & exigente non movere, nisi quando illud alterum sibi conjunctum habet. Quando ergo in aliquo casu utrumque intervenit (quod tamen non semper contin-

git) nempe Causā moralis & conditio, tunc licet neutrum sine altero moveret, hoc tamen interest discrimen, quòd id quod est causā moralis, ideo moveat ut conjunctum cum altero, quia petit non movere nisi ut sic conjunctum, non ex defectu virtutis, sed quia suā non interest movere, nisi quando est alteri conjunctum, sicut non interest ignis calefacere, nisi sit approximatus. E contra alterum quod est conditio, ideo præcisè non potest movere sine altero quod causam dicimus, quia Causā petit non movere, nisi habeat conjunctam talem conditionem, adeoque suam vim movendi mutat à Causā.

625. Hinc redditur ratio, cur Nummus plumbeus sit mera conditio, quando movet ad dandam pecuniam, Voluntas autem Principis sit Causā moralis, & idem est de voluntate Domini, comparata cum cantu galli. Nam in voluntate illa residet Dignitas & Excellentia, excitans & impellens servum: quia verò Voluntas Domini talis est, ut nolit à servo attendi, nisi ponatur cantus galli, aut exhibeatur nummus plumbeus, hinc est, quòd sine cantu galli, aut exhibitione nummi plumbei non moveat. Quodsi Princeps aliud signum assumpsisset, eodem modo illud moveret, quod signum esset, virtutem movendi inesse voluntati Domini, non verò cantui aut nummo.

Declaratur vulgaribus exemplis. Præcipiens, Rogans, Consulens, sunt causæ morales: in ipso enim præcepto, consilio, precibus, residet virtus excitandi voluntatem alterius ad operandum, seclusis alijs: quodsi verò præcipiens ipsemet restringat suum præceptum ad certos casus & circumstantias (idem est de consulente & rogante) tunc illæ circumstantiæ sunt meræ conditiones, juxta regulam traditam.

626. Nunc ad rem nostram veniendo, & applicando Regulam Sacramentis, apparebit, Sacramenta novæ legis, rectissime dici Causas Morales. Continent enim in se excellentiam moventem Deum ad producendam Gratiā, utpote actiones Christi, à Christo institutæ, & à Ministris Christi exercendæ, nomine & auctoritate ipsius Christi, & quidem in hunc finem, ut Gratiā obtineatur; adeoque dignificantur ab ipsa Institutione Christi, meritisque à Christo applicatis: unde à SS. PP. dicuntur esse plena sanguine Christi: ac denique sunt quidam cultus Dei, quatenus sunt petitiones Christi, quibus petit à Patre Cælesti dari gratiam, ac proinde per Sacramenta colitur Deus ut auctor Gratiæ. Nihil ergo potest desiderari ad rationem Causæ moralis in stricta significatione.

627. Hanc declarationem discriminis inter causam moralem & conditionem reipræ, etsi alijs verbis, invenio traditam in Hispania à celebratissimo Theologo, Benedicto de Robles, professore Cardinalis de Lugo & Arriagæ, qui suum Magistrum secuti sunt. Eandem tradit Esparza his verbis. [Res physica & actiones exteriores, includentes intrinsecè actum liberum voluntatis,

voluntatis, quoad vim inductivam & causlativam alicujus effectus, dicuntur absolute causae morales talis effectus. Sacramenta autem includunt essentialiter ac intrinsece talem actum, atque ab eo pendent formaliter quoad esse completum Sacramenti, & vim illativam Gratiae.]

§. VI.

*Utrum Circumcisio fuerit Causa Gratiae, vel
Conditio, vel Neutrum.*

628. Solet hæc quaestio hic agitari occasione eorum quae dicta sunt, quamvis alioquin ad Scripturam Interpretes pertineret. Serviet autem ejus resolutio ad meliorem intelligentiam eorum quae dicta sunt, & ad nostrorum Sacramentorum commendationem.

Difficultas autem movetur ex varijs Scripturae textibus, quibus circumcisio modò extolli, modò deprimi videtur; & quia vix apparet modus explicandi, quomodo parvuli in Circumcisione fuerint justificati, si Circumcisio nihil ex opere operato contulit.

Doctores tantum duas sententias oppositas communiter referunt: cum tamen in quatuor distribuenda videantur.

629. Prima & valde communis sententia est, per Circumcisionem, saltem tanquam per conditionem, fuisse parvulis collatam Gratiam ex opere operato, & sic illis circumcisionem fuisse medium necessarium ad salutem.

630. Secunda sententia simpliciter negat hujusmodi conducentiam & necessitatem. Ita post multos alios Vasquez 1. 2. d. 184. c. 3. n. 18. & c. 4. n. 36. & licet hoc loco videatur Circumcisionem solum excludere à ratione Causae, quia in fine cap. quarti dicit, se in quaest. 70. S. Thomae tractaturum, an saltem fuerint conditio necessaria, fundamenta tamen Vasquezij etiam contra Conditionem procedunt, & deinde in 3. p. d. 163. n. 18. expressè iterum asserit, Circumcisionem non fuisse parvulis necessariam, nec remedium ad salutem, & præceptum Circumcisionis eatenus solum parentes obligasse, ut infantes populo Dei aggregarent. & paulò post n. 19. sic loquitur. [Quod verò spectabat ad salutem spiritualem infantium, præsto illis esse poterat fides parentum, quae ante Christi adventum semper pro parvulis remedium fuit.] Quae verba cum sint clarissima, mirum est, P. Dicastillo d. 2. n. 316. dixisse, nulum Theologum opinari, pueris Hebraeis non fuisse necessariam Circumcisionem. Eandem cum Vasquez sententiam etiam tenet Bellarminus: citatur etiam pro eadem à Card. de Lugo Agidius Conink a. 6. verùm hic n. 146. expressè docet, fuisse saltem conditionem respectu parvulorum.

631. Tertia sententia volens declinare difficultates utriusque extremae jam restat sententia, procedit mediâ viâ. Docet enim, Circum-

cisionem non justificasse quidem, si formaliter sumatur, hoc est, si consideretur prout fuit promissum & primò instituta, quia ut sic erat tantummodo signum fœderis inter Deum & familiam Hebraeam, cui promittebatur ingens multiplicatio populi electi, nec quidquam pertinebat ad conferendam salutem.

De Circumcisione ergo sic accepta videtur sententia intelligendos esse textus S. Pauli & S. Patrum, quos pro se adducit secunda sententia. Quia verò respectu parvulorum masculorum hoc in Circumcisionem commutatum Sacramentum Legis naturae, quod ante institutum Circumcisionem adhibebatur contra peccatum originale, hoc Circumcisio materialiter spectata, hoc est, sacramentum legis naturae, habebat vim tantum proximam ad delendum peccatum originale ex opere operato; & hoc modo vult intelligendus textus quibus videtur prima sententia. Hanc sententiam tenet Card. de Lugo, & prius eam proposuit Vasquez loco cit. c. 4. n. 42. & vix apparet in quo differat ab hac sententia Suarez disp. 1. sect. 2. §. 1. utraque istarum, nisi quòd Lugo eam accuratius explicaverit. Lugonem sequitur P. Dicastillo: differunt tamen hi duo, quòd Lugo vult illam commutationem Sacramenti Legis Naturae in Circumcisionem, non fuisse à Deo factam aliquo præcepto, sed ex libera deputatione ipsius populi, quatenus voluit unâ eademque actione duobus præceptis satisfacere. E contra, Suarez & Dicastillo volunt illam commutationem factam esse à Deo Gen. 17. & ideo extra casum necessitatis nulli masculo infanti profuturum fuisse Sacramentum legis naturae prout prius profuerat.

632. Quartam sententiam tenuit olim etiam profundè doctus & solidus, Petrus de Avila, ut refert ejus discipulus P. Castillo à n. 30. utraque re ipsa amplexi sunt & illustrarunt Pallavicinus & Elparza. Hi itaque docent, justificationem parvulorum fuisse afixam à Deo extra casum necessitatis illi actui meritorio, quem exercebat Minister voluntate executivâ, profectionem fidei in Christum, quae hic & nunc fiebat per Circumcisionem, quae voluntas ex suo modo reddendi erat irretectabilis, quatenus non mere de futuro, sed hic & nunc, & pro hoc instanti impetruit Circumcisionem, & per eam voluit suam fidem in Christum applicare infanti. Quod dictum est de Circumcisione, idem dicendum de illo remedio incognito, per quod famellis, & etiam multis in casu necessitatis applicabatur fides in Christum.

633. In hac ergo sententia Circumcisio secundum se præcisè spectata, fuit inutilis ad justificationem, & quoad hoc punctum convenit hac sententia cum secunda. Fuit tamen vix denominativè sumpta, quatenus denominabatur meritoria ab actu illo interno protestativo, semel solet, Eleemosynâ redimi peccata, & acquiritur tam aeternam, licet totum meritum consistat in solo

solo actu interno. Ratio autem hæc est, quia actus internus accipitur in communi sermone per modum vnus cum actu externo, quem secum trahit, & ideo actus externus denominatur ab actu interno bonus, & meritorius illius rei, quam meretur & impetrat actus internus. Differt ergo hæc sententia à secunda solum in hoc, quod Iustificationem parvulorum tribuat actui fidei & protestationi internæ, quæ secum trahit Circumcisionem, quod secunda sententia non satis explicavit, quamvis fortassis subintellegerit.

634. DICO, Hanc quartam sententiam videri veram. Probatur 1. Quia est conformior S. Scripturæ & PP. quatenus Circumcisioni negat conducentiam ex opere operato; & præterea saluat illos loquendi modos, qui videntur patrocinari Circumcisioni. Posterior pars probabitur solutione objectionum, quæ fieri solent ab auctoribus primæ sententiæ. Nunc autem probatur prior pars ex Ep. ad Rom. 3. & 4. 1. ad Cor. 7. ad Galat. 4. ad Coloss. 2. ad Hebr. 7. 9. & 10. quibus locis, vt Apostolus Circumcisionem dissuaderet quibusdam Judæis ad Christum conuersis, sed Circumcisionem retinere volentibus, docet, Circumcisionem aliisque ritus antiquæ legis, fuisse meras figuras eorum, quæ iam existunt, neque per illos fuisse iustificatos Hebræos, sed per fidem; sic Abraham non per Circumcisionem, sed per fidem præcedentem fuisse iustificatum: *Credidit Deo, & reputatum est illi ad Iustitiam*. Deinde etiam appellavit illa infirma & egena elementa. Ex quibus textibus collegerunt Concilia, quod Sacramenta antiquæ legis non fuerint Causa Gratiæ.

635. Confirmatur 1. Cum S. Paulus ad Rom. 2. docuisset, Iustificationem tam Judæi quam Gentilis esse ex fide; postmodum c. 3. obicit sibi ipsi & replicat hoc modo. *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas Circumcisionis?* quasi diceret. Si Circumcisio secundum se spectata, non fuit remedium contra Originale, nec conducent ad Iustificationem ex opere operato, sed Iustificatio contigit Judæo æquæ ac Gentili ex Fide, quid ergo prærogatiuæ habuit Judæus præ Gentili intuitu Circumcisionis? Ecce! in hac objectionem supponitur, Circumcisionem fuisse inutilem etiam in veteri Lege. Ad hanc replicam respondet S. Paulus longè aliter quam secundum aduersarios debebat: respondet, inquam, ad vtrumque membrum objectionis, hoc modo. Ad primum quidem de eminentia seu prærogatiua Judæi supra Gentilem, his verbis. *Multum per omnem modum: primum quidem (id est potissimum) quia credita sunt illis eloquia Dei.* id est, reuelationes & promissiones à Deo factæ, quasi diceret: Deus Judæis longè copiosius & familiarius communicavit & impertivit spirituales illustrationes & supernaturales veritates. Ad 2. verò partem objectionis, de utilitate Circumcisionis in specie, respondet cap. 4. his verbis. *Et signum accepit Abraham Circumcisionis signaculum Iustitiæ fidei quæ*

est in præputio, vt sit Pater omnium credentium. Quasi diceret. Utilitas Circumcisionis hæc erat, quod Judæis esset signum acceptæ Iustitiæ per protestationem Fidei factam in Circumcisione, & promissionum quæ factæ fuerant Abrahamo Gen. 17. *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fæderis inter me & vos.*

636. Confirmatur 2. ex Epist. ad Hebr. 7. 18. 19. vbi S. Paulus expressè loquitur de inutilitate legis antiquæ, pro tempore præcedente legem novam. *Reprobatio*, inquit, *vite præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nil enim ad perfectum adduxit lex.* quasi diceret, (inquit noster Cornelius à Lap.) vis scire causam abolitæ legis? causa est legis illius infirmitas & inutilitas, quia lex illa non poterat peccata expiare, hoc est: Iustificare. Lex enim tantum in rebus externis occupabatur, circa Iusticiam carnis, & munditiem exteriorem, quæ coram hominibus, non autem coram Deo nos puros & sanctos efficiebat, v. g. si quis mortuum aut immundum attigisset, iubeat eum lex lavari.

637. Respondent aliqui primò, Sacramenta antiquæ legis ideo contemni, quia non causabant Gratiam physicè, sed tantum moraliter. Hæc tamen responsio est manifestè insufficiens. Si enim fuissent causa moralis, non magis iustificasset fides quam Sacramenta, quia fides etiam tantum erat causa moralis, & quidem remota. Atqui hoc repugnat verbis S. Pauli, qui dicit, non Circumcisionem, sed fidem iustificasse. Deinde satis ineptè egisset S. Paulus in illis vilipendentis apud populum, propterea quod non influxissent physicè, sed tantum moraliter: sicut enim defacto simplices fideles non sunt solliciti de modo quo Sacramenta causant Gratiam, neque alliciuntur ad ea æstimanda propter influxum physicum, ita populus ille quibus scribebat S. Paulus, non curasset, physicè an moraliter causassent. Sic, inquit Pallavicinus, licet arbor sit causa physica pomi, & moneta sit causa tantum moralis ejusdem quando emitur, in æstimatione tamen humana non minoris sit moneta, quam arbor, & ideo invicem commutantur. Ratio est, quia Medium quæ Medium habet totum suum pretium à bonitate finis, & à facilitate illum causandi: ergo impertinens est modus causandi physicè.

638. Respondent alij 2. Sacramenta antiqua contemni, quia erant duntaxat conditio, & non causa, ne quidem moralis, quia non continebant aliquam dignitatem, ratione cuius possent movere ad causandam Gratiam, sicut continent Sacramenta novæ Legis, modo superius explicato, sed potius habebant se sicut nummus plumbeus.

Verum, contra vrgetur eodem modo. Quando enim conditio æquè infallibiliter infert effectum, atque inferret si esset causa physica, tunc non est contemptibilis illi, cui tale bonum affert; id quod apto exemplo declarari potest. Du-

D d d d

bium

bium est apud philosophos, utrum, quando ferrum attrahitur a Magnete, Magnes sit causa physice attractiva, vel tantum conditio, ad eum modum, quo centrum dicitur esse conditio, ut lapis moveatur versus centrum. In hoc puncto quacunque sententia vera sit, nihil auget aut minuit pretium & estimationem Magnetis: ita non fuisset efficax argumentum S. Pauli ad ingenerandum contemptum Circumcisionis, si saltem fuisset conditio, quâ posita infallibiliter sequeretur nobilissimus Gratiæ effectus: nam licet non esset promerita estimationem illam, quam merentur nostra Sacramenta, quia non esset dignificata meritis Christi, nec actio ejus nomine exercita, ratione effectus tamen retinisset magnam estimationem: sicut licet Magnes sub physica consideratione plus perfectionis & estimationis haberet, si physica virtute attraheret ferrum, apud illos tamen, qui præcise amant Magnetem propter effectum attractionis ferri, adhuc eandem haberet estimationem.

639. Respondet 3. P. Dicastillo, Concilium Florentinum (& idem diceret de S. Paulo) quando negavit Sacramentis antiquæ legis causalitatem gratiæ ex opere operato, noluisse comprehendere Sacramentum Legis Naturæ, utpote institutum ante Legem scriptam, sed sola Sacramenta legis scriptæ, de quibus solis loquitur: atqui Circumcisio non causabat Gratiâ ut Sacramentum legis scriptæ, sed ut in se complectens Sacramentum legis Naturæ: ergo Circumcisio quâ justificativa non comprehenditur in contemptu Sacramentorum legis antiquæ.

Sed contra bene virget Card. Pallavicinus. Doctrina Florentini desumpta est ex doctrina S. Pauli, qui de Circumcisione in specie loquitur, & sine ulla distinctione illarum formalitatum aut temporum eam vilipendit.

640. Respondet 4. Card. de Lugo, Circumcisionem contemni à S. Paulo non materialiter sed formaliter consideratam, hoc est, prout fuit primario instituta in signum fœderis: sic enim erat eorum elementum: considerata verò prout successit in locum remedij Naturæ, & prout illud in se continebat, habebat utilitatem maximam ad delendum peccatum originale ex opere operato. Hæc responsio parum differt à priore, & contra eam pariter virgetur. Quomodoque enim Circumcisio contulerit ad peccatum originale ex opere operato delendum, sive ut Sacramentum legis scriptæ formaliter, sive ut substitutum Sacramento legis Naturæ, non debuit S. Paulus & SS. PP. dicere, Justificationem non fuisse ex Circumcisione, sed ex Fide. Possum hoc ostendere exemplo claro. Jejunium est primario institutum ad macerandum & refrenandum corpus: ponamus Pontificem concedere indulgentias illis, qui unâ cum certa aliqua oratione exhibent aliquem cultum & actum Religionis S. Francisci; postmodum adveniente illius festo designet Pontifex pro illo cultu Jejunium in ejus

pervigilio: tunc si quis cum oratione requirit conjungeret jejunium, nemo recte diceret, tam Indulgentias consecutum esse, non ex jejunio sed ex oratione: atqui secundum responsionem Lugonis ita dicendum esset, quia Jejunium non formaliter ut est maceratio carnis, sed materialiter, ut est substitutum in locum actus Religionis prius indeterminatè requisitū concurreret ad indulgentias lucrandas; sicut Lugo dicit, parvulus non ex Circumcisione, sed ex fide fuisse justificatus, quia Circumcisio substituta est in locum alterius Caremonie.

641. Quintam Responsionem infert Conink, quod Circumcisio non habuerit efficaciam suam ex lege communi (neque enim poterat aduisti, neque illis erat necessaria necessitate Medij, sed necessitate Præcepti) sed ex speciali privilegio parvulis ob summam indigentiam concessio: privilegium autem non excludit per legem generalem: sicut si quis diceret, dispensationem factam à Novitio de suis bonis ante remissionem Tridentino præfixam (sess. 25. Decreto de Regularib. c. 16, (nempe ante duos menses prout præcedentes professionem) non valere, vnum diceret, licet non comprehenderet Novitios nostræ Societatis, propter speciale privilegium à Sede Apostolica concessum.

Sed contra 1. Esto posset hoc modum veritas propositionum S. Pauli, non potest haberi scopus S. Pauli, qui fuit, abrogare omnimodum vltum Circumcisionis: atqui Circumcisio veloximè adhibebatur parvulis, respectu quorum non fuisset inanis: ergo male vtiliter S. Paulus abrogationem Circumcisionis ex inutilitate illius ad salutem.

Contra 2. Imò si Circumcisio fuit utilis parvulis, hoc habuisset ex lege communi, et quod de lege communi debuerint parvuli occurrere circumcidi, quemadmodum etiam legi contra remedium fuit de lege communi parvulus applicatum.

642. Probatur nunc Conclusio 2. auctoritate SS. Patrum, qui simpliciter & absolute dicunt, Circumcisionem tantum servasse & institutam esse ut signum, quo populus ille à Gentibus discernerebatur, & ut recordarentur pacti cum Abrahamo. Præterea exponunt S. Paulum, sicut nos exposuimus, & tribuunt Justificationem parvulorum non Circumcisioni, sed Fidei partum. Verba eorum videri possunt apud Vaquez 1. 2. d. 130. c. 2. n. 7.

643. Probatur denique Conclusio auctoritate S. Thomæ, quæ tam aperta est, ut de ea non dubitare non sinat. Itaque in 4. dist. 1. q. 114. agens univèrsim de Sacramentis veteris legis, præcipit imprimis Hugonem de S. Victore, quod docuisset, illa Sacramenta tam ut opus operant, hoc est, ut includens opus meritorium, quam ut opus operatum seu ut Sacramentum justificasse, & ut hanc opinionem contrariari dictis Sanctis. Probatum, qui dicunt, quod lex erat occasio mortis, in quantum

quantum ostendebat peccatum, & gratiam adiutricem non conferebat. neque refert, inquit S. D. utrum eam directe vel indirecte conferrent. (id est materialiter vel formaliter) Deinde concludit hoc modo. [Ideo tertia opinio communis dicit, quod iustificabant quoad opus operans per modum meriti, non quoad opus operatum per modum Sacramenti.]

644. Quia vero S. D. viderat, obijci sibi posse, quod actus collatus Sacramentorum, sepe non esset formatus in conferentibus Sacramentum, sed informis, quia existebat in peccato mortali, ideo ponit questionem secundam, art. 1. & quaerit, utrum parvuli salvarentur in fide informi, vipote mortua, & ad primam objectionem respondet. [Dicendum, quod quamvis fides sit mortua quoad meritum de condigno, non tamen de congruo: vel quamvis sit mortua quoad subiectum proprium, non tamen quoad objectum.] per objectum autem intelligit Christum, qui in actu fidei intentionaliter vivebat, & movebat Deum ad decernendum illi actui premium, quod de congruo merebatur, ut indicat 3. p. q. 62. a. 6. in C.

Uterius, cum adverteret D. Thomas, sibi obijci posse, quod ex hac doctrina sequeretur, potuisse parvulos iustificari per solum actum internum, sine ullo actu externo Circumcisionis, ponit articulum 2. & respondet his verbis. [Circa hoc est duplex opinio, una dicentium, quod nunquam sufficiebat fides sine exteriori signo, in quo esset fidei professio &c. Sed quia non videtur consonare verbis Gregorii (dicentis, quod sola fides parvulis sufficiebat) ideo alij probabilius dicunt, quod cum ad remedium originalis nulla signa vel Sacramenta forent adhuc instituta, sufficiebat professio fidei directa ad salutem parvuli in solo motu interiori, sine ullo exteriori.] Deinde agens de Circumcisione q. 62. a. ult. ad 3. in fine ait: quod Circumcisio sicut & alia Sacramenta veteris legis, erant solum signum fidei iustificantis. & q. 70. a. 4. soli fidei tribuit salutem parvulorum. & in resp. ad 2. ait, quod sicut ante institutionem Circumcisionis sola fides Christi futuri iustificabat tam parvulos quam adultos, ita etiam Circumcisione data, sed ante non requirebatur aliquod signum protestativum huius fidei. Hæc S. Thom. Ex quibus verbis Vasquez alijque colligunt, Opinionem S. Thomæ fuisse, quod sufficere sola fides interna pro illis, qui non poterant circumcidi ob imminens periculum mortis. Neque contra hanc opinionem vrgent valde illa quæ obijcit Lugo.

645. Quia vero communior est opinio, quod solus actus internus non sufficere, ideo dici simpliciter potest, parvulos fuisse iustificatos per actum Internum, qui esset imperativus actus externi, quo fieret protestatio fidei, qui quidem actus fuit communiter Circumcisio, sed in casu necessitatis etiam alius quicumque sufficiebat: & hoc ipsum videtur agnovisse S. Thomas loco citato.

tato, ubi statim subiungit: [Probabile tamen est, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem illis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei.]

§. VII.

Solvuntur Objectiones.

646. Obijcitur 1. Auctoritas Innocentij III. in cap. majores de baptismo; ubi videtur Circumcisioni tribuere vim conferendi Gratiæ. Nam illud Gen. 17. *Anima cuius præputij caro circumcisa non fuerit &c.* comparat cum illo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit: unde subsumitur: atqui ex verbis posterioribus colligit Ecclesia, Baptismum habere vim conferendi Gratiæ: ergo Pontifex existimavit, etiam idipsum de Circumcisione ex prioribus esse colligendum.* Uterius. Pontifex declarat discrimen inter Circumcisionem & Baptismum, qui illi successit, his verbis. [Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis Mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum Cælorum, quod vsque ad mortem Christi fuit omnibus obleratum, sed per Sacramentum Baptismi &c.] Ecce: quoad vim delendi peccatum, nullum agnoscit discrimen, sed solum quod Circumcisi morientes, non statim ingressi sint Cælum, sicut modò Baptizati. Ad hoc optime respondet P. Esparza, ex ipso Capituli initio constare, quæ mens fuerit Pontificis, & quis scopus, nimirum damnare hæreticos, docentes, nullum peccatum remitti posse, nisi per actum Charitatis, elicium ab illo cui peccatum remittitur, ac proinde inutiliter baptizari infantes. Ad hunc autem scopum sufficiebat definire, per baptismum remitti peccatum, idemque prælitum fuisse in Circumcisione: Vtrum autem ex opere operato, an ex opere operantis Ministri, cum sit questio scholastica, nec voluit nec debuit quidquam definire, sicut nec voluit definire, utrum tunc in deletionem peccati Originalis etiam fuerit infusa Gratiæ, quod tunc temporis erat controversum.

647. Obijcitur 2. S. Augustinus, qui pluribus in locis videtur Circumcisioni tribuisse vim delendi peccatum originale, & fuisse necessariam necessitate Medij respectu parvulorum. Fundavit autem se S. Augustinus in verbis Genesis 17. & lectione Septuaginta Interpretum, quæ sic habet: *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit oclava die, delebitur anima illius de populo suo.* cur enim deleberetur infans de populo morte seu necē corporali? ergo est intelligendum de morte spiritali, ob originale peccatum, non deletum ex defectu Medij Necessarij. R. 1. In editione nostra vulgata non habentur illa duo vocabula: *oclava die.* Ex quibus colligebat S. Augustinus, illam comminationem parvulis esse factam. Quin ipse Augustinus 16. de Civit. c. 17. fatetur, posse illum

illum locum aliter exponi, & defacto in editione facta jussu Sixti V. aliter legitur. Vnde teste Vasquez & Bellarmino, Interpretes communiter illum locum intelligunt de adultis, quibus Deus, nisi circumcidantur, minatur poenam, non quidem aeternam sed temporalem, sive mortis, sive separationis à populo Judaico, quam debebat pati ob neglectam circumcisionem. Verum quidquid sit de hac lite Scripturistica;

§. 2. Transeat illum locum Genes. esse intelligendum de parvulis, & esse legendum ut volebat S. Augustinus, dico S. Augustinum esse interpretandum, sicut paulò ante Innocentium III. interpretati sumus, scopum illius fuisse, probare utilitatem Baptismi parvulorum, sicut & Circumcisionis, contra hæreticos, requirentes actum fidei in suscipiente. In hoc sensu S. Augustinus lib. 4. de baptismo contra Donatistas c. 24. scripsit hæc verba. [Cur ergo ei præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat fortè credere, ut ei reputaretur ad Justiciam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum plurimum valebat?] Dico, inquam, S. Augustinum nihil voluisse statuere circa nostram quaestionem scholasticam: hoc enim non erat necessarium ad ipsius intentum, sed solum voluisse asserere, non fuisse opus ad delendum peccatum originale, ut esset actus fidei in suscipiente Sacramentum, sed fuisse deletum in Circumcisione, sive hoc proveniret ex opere operato, sive ex opere operantis.

648. Solet ex eodem Augustino objici alius locus lib. 3. contra Julianum c. 18. ubi loquens de Infantibus damnandis nisi circumciderentur, sic ait. [Explica si potes, cur merito tantà poenā plesteretur, nisi ab hoc tanto Sacramento liberaretur.] vbi illa particula *Tanto*, videri posset exprimere vim propriam Sacramenti. Verum S. Augustinus plus nolit asserere, quam quòd Circumcisio fuerit Sacramentum præ cæteris æstimandum ex eo capite, quòd à Deo fuerit vnicè designatum pro objecto & effectu illius actus meritorij, quo volebat parvulos justificari extra casum necessitatis. Cæterum S. Augustinus pro nostra sententia apertè pronuntiat in Epistola ad Hieronymum, quæ est 97. vbi dicit, Circumcisionem & alia hujusmodi justificare neminem potuisse.

649. Objici posset 4. Ex nostra sententia sequi videtur, quòd si Minister Circumcisionis habuisset actum imperantem Circumcisionem, & quoad modum tendendi efficacissimum, sed ex defectu instrumenti aut virium non potuisset circumcisionem absolvere, adhuc puer fuisset justificatus, quia totum meritum fuisset positum. §. Multos cum S. Thoma sup. concedere sequelam, alios verò negare, & requirere in tali casu actum qui imperet aliud signum protestativum fidei, quæ res est incerta.

650. Objici posset 5. Ex nostra sententia sequi videtur, melioris conditionis fuisse parvu-

los Judæorum, quàm novæ legis, qui per fidem sine actuali Baptismo non justificantur. §. 1. Retorquendo argumentum, nam in sententia contraria in casu necessitatis, & respectu fœderum etiam extra casum necessitatis, facillimum remedium poterat adhiberi in veteri lege, etiam in nova lege requiritur determinate baptismus. §. 2. Fidem internam supernaturalem valde victoriosam & captivantem intellectum in obsequium Dei, non esse per se, & ex se facillimè quàm sit collatio baptismi, præsertim si accipiatur fides vna cum actu imperante Circumcisionem. Quòd autem per accidentem alter contingere possit, est divinæ Providentiæ relinquendum, ad quam pertinuisset permittere mortem in utero matris, ut sæpè contingit, & non conqueri potest.

CONTROVERSIA IV.

Quænam Sacramenta Characterem imprimant, & quid ille sit.

651. Character hoc loco aliud non est, quàm Signum quoddam spirituale, & eternum sua indelebile, animæ impressum à tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine, & definitum est in Florentino Dec. Vn. & in Trident. sess. 7. can. 9. cujus perpetuam Traditionem in Ecclesia fuisse ostendunt Controversiæ.

Prima Quæstio est, quare tantum tria Sacramenta nominata imprimant Characterem. Vasquez n. 18. & post eum plures alij rationem dant, quia hæc Sacramenta non sunt reiterabilia sicut cætera: essent autem reiterabilia, nisi imprimerent Characterem.

652. Hanc rationem & illationem rejiciunt Lugo, Dicalillo, Arriaga. Irreiterabilia enim alicujus Cæremoniæ & ritus potest bene consistere & intelligi sine impressione Characteris, cujus rei plura sunt exempla. Prima Trinitas est irreiterabilis, nec tamen imprimit Characterem. Benedictio mulieris in primis nuptijs, non debet repeti cum transit ad secundam vira, nec tamen imprimit Characterem. Abbas fœnelo fulatus & Benedictus, etiam si secundo in Abbatem eligatur, non debet denuo Benedici, neque tamen Benedictio imprimit Characterem: ergo hæc Cæremoniæ sunt irreiterabiles præterea libera institutione hominum, ita posset dici tria illa Sacramenta esse irreiterabilia ex libera Christi institutione. Ita illi.

653. Ego tamen existimo, argumentum illationem factam à Theologis nostris contra hæreticos ad probandum Characterem, non esse facile rejiciendam. Fateor itaque, quòd excepto suo Irreiterabilitas alicujus Cæremoniæ, bene possit intelligi sine impressione Characteris, quando altunde constat, quòd ex mera libera voluntate instituentis, repeti non debeat: atque non potest afferri vllus textus Scripturæ, qui

trium Sacramentorum Irreiterabilitas probetur, & quo contineatur irreiterabilitas seu prohibitio reiterationis: cum ergo etiam secundum hereticos illa Sacramenta sint irreiterabilia, debet hac irreiterabilitas fundari in aliqua traditione: hac autem non erit alia, quam illa ipsa, quâ probatur Character: ergo saltem hac ratione bene infertur Characteris existentia ex irreiterabilitate Sacramentorum.

Est autem hac illatio à posteriori. Concilium Tridentinum è converso, & quasi à priori intulit irreiterabilitatem ex impressione Characteris, dicit enim: hæc tria Sacramenta imprimere Characterem indelebilem, unde & iterari non possunt. Quæ consequentia fundatur in eo, quod Character semper creditur sit esse signum potestatis alicujus seu muneris irrevocabiliter collati à Deo: ac qui non potest esse signum falsum, vtpote signum Supernaturale: ergo ex Characterem semel collato bene infertur, non posse potestatem collatam tolli, & per iterationem Sacramenti restitui.

654. DICO præterea 1. Ultra liberam voluntatem Instituentis, non potest melior ratio à priori vel congruentia assignari, quare hæc tria, & nullum aliud imprimat Characterem, quam illa, quæ desumpta videntur ex VValdensi to. 2. de Sacram. c. 110. eamque indicavit S. Thomas q. 63. a. 6. Est autem hæc, quod in illis tribus Sacramentis fiat specialis deputatio hominis ad speciale Munus & Officium, ac certas functiones spirituales exercendas, quibus promoveatur cultus Dei, ad quas alij carentes Characterem non sunt ita specialiter deputati: sicut in militia & aulis Principum, certis quibusdam signis discernuntur diversi officiales. Itaque in Baptismo datur Character quo quis in familiam Christi adoptatur, & quasi generali liberâ Christi induitur, accipitque Jus & potestatem alia quoque Sacramenta recipiendi, faciendique ea quæ specialiter decent Christianum. In Confirmationis Sacramento datur Character militaris, quo quis ex familia assumitur in Militem, cujus speciale munus sit fortiter etiam exterius pro fide Christi pugnare, constanterque eam coram hostibus fidei profutendo, cultum Deo debitum tueri. In Sacramento Ordinis datur Character, quo designatur quasi in Ducem aut vnum ex Magistratu, qui tanquam Minister Christi specialiter ea, quæ ad supremum cultum & populi gubernationem pertinent, dona, id est Sacramenta fidelibus dispenset &c. idque secundum diversos ordinum gradus.

Hinc redditur ratio, quare non imprimat Characterem Extrema Unctio: nam licet hæc etiam iterari intra eundem morbum non possit, & præterea etiam det robur pugnandi: attamen præterquam quod in alio morbo iterari possit, non præbet speciale robur & potestatem pugnandi pro fide Christi & cultu Dei, sed pro anima alicujus privati: adeoque non deputat ad certum officium & munus in familia Christi.

655. Quæritur 2. Vtrum Character sit Ens physicum, inherens physice animæ, vel potius sit tantum Ens Morale, seu denominatio extrinseca, sicut est prima Tonfura, Doctoratus, Licentiatu, dignitas Prætoris, Consulis &c. Affirmavit hoc posterior Durandus, à quo non videtur multum differre Scotus, ut ostendit Vasquez. Imò Dominicus Sotus videtur totus in eam abire: nam quamvis putet, se ei moderamen adhibere, illud tamen nescio quale sit, dum ait, Characterem esse qualitatem secundæ speciei, non distinctam tamen ab Essentia animæ secundum rem, sed ratione solum.

656. Dicendum est 2. Characterem esse Ens physicum, physice inherens animæ. Ita cæteri Theologi cum S. Thoma, adeo ut teste P. Esparzâ, post Canones Conciliorum sententia Durandi non sit tuta in fide, quidquid eximere ab omni censura contentur Vasquez & Arriaga. Probatur. Nisi enim hæc sit Mens Concilij Tridentini, dum asserit, ea Sacramenta characterem imprimere indelebilem, tunc ejus definitio nihil facit contra hereticos, contra quos Canonem illum constituit. Hæretici enim negarunt Characterem in eo sensu, quo illum Scholastici tunc temporis defenderunt. Neque enim negant hæretici denominationem extrinsecam provenire à baptismo, & quidem non iterabilem.

657. Confirmatur. Concil. Tridentinum sess. 23. c. 4. probat contra hereticos, eos qui semel Presbyteratus ordinem acceperunt, non posse amplius Laicos fieri, ex eo, quod fuerit impressus Character: his verbis. [Quoniam verò in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo & Confirmatione, Character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito S. Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinatos iterum Laicos effici posse, si Verbi Dei Ministerium non exercent.] Hæc Concilij illatio esset inepta, si Character esset mera denominatio extrinseca, nempe sicut est officium Consulis aut Prætoris: ex hujusmodi enim denominatione extrinseca quæ semel alicui convenit, non potest inferri, quod non possit illa denominatio cessare. Verum quidem est, quod nunquam possit verificari, talem denominationem nunquam convenisse: sed hoc nihil est ad rem: quia hæretici tam stolidi non erant ut, dicerent, posse de eo qui semel fuit Sacerdos, verificari, quod nunquam fuerit Sacerdos.

Confirmatur 2. Cum PP. Concilij bene scirent, communem DD. sententiam esse fundatam in perpetua traditione, quod Character sit accidens physicum animæ inherens, debuisset in sua definitione monere, quod ab hac Scholastica questione abstraheret, nisi voluisset secundum illam doctrinam definire, ne alioquin pronam errandi occasionem præberet, & judicandi de Characterem, prout defacto à DD. judicatur.

D d d d 3

Confir-

Confirmatur 3. Quia verba Conciliorum sunt accipienda in sensu proprio, quando materia subiecta id patitur: atqui character in sensu proprio significat aliquid physicum, & nullum est inconveniens dari characterem physicum, spirituale &c. ergo sicut Concilia intelliguntur de entitate spirituali physica, quando dicunt infundi Gratiā, Charitatem &c. ita etiam de Characterē intelligenda sunt.

658. Obijcies. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate: atqui nulla est necessitas asserendi & multiplicandi tale Ens physicum. Non quidem est necessarium ad defendendam irreiterabilitatem Sacramentorum, nam exemplis suprà allatis patet, posse Cæremoniam irreiterabilem institui absque Characterē: non etiam est necessarium, ut illi qui sunt Baptizati, Confirmati, Ordinari, cognoscantur ab alijs esse tales: nemo enim nostrum videt alterius Characterem: neque se prodit in aliquo effectu sensibili: sed sicut ex alijs actionibus cognoscimus Doctorem &c. ita etiam cognoscimus baptizatos.

659. Hoc argumentum æquivocare. Aliud est querere, an fuerit necessarium, ut Sacramenta imprimerent physicum Characterem, & aliud est querere, an supposita traditione & verbis Conciliorum, sit necessitas dicendi, Characterem physicum imprimi. De primo non disputamus. sit ita, quod non fuerit necessitas, satis est quod Deo ita placuerit & conveniens fuerit, habeatque magnam utilitatem, quia cedit in gloriam & ornamentum Beatorum, & in confusionem Damnatorum. Deinde licet non cognoscatur à nobis in via, cognoscitur tamen ab Angelis, quod SS. PP. magni faciunt. S. Basilii in exhortatione ad baptismum sic loquitur. [Nisi Characterem in te agnoscat Angelus, quoniam modo pro te pugnavit, ab inimicis vindicabit?] Quoad secundum, jam apparuit necessitas asserendi in probatione Conclusionis.

659. Queritur 3. Vtrum Character sit signum merè ad placitum, vel potiùs naturale. P. Arriaga post alios censet, esse merè ad placitum, nempe esse ornatum animæ, sed ex se indifferentem, ut sit vel non sit signum, sicut est hedera, ac proinde esse à Deo ad libitum assumptum ad significandam potestatem per Sacramentum collatam.

DICO tamen 3. Characterem esse signum Naturale. Probatur 1. quia à SS. PP. vocatur figura, effigies, imago, lumen: atqui signa ad placitum talia non vocantur. Probatur 2. In sententia contraria non potest reddi commoda ratio, cur Character non fuerit in anima Christi, quam utique decebat habere omnem ornatum, quem alijs suis fidelibus per merita sua communicat. Econtra in sententia nostra, asserente esse Signum Naturale potestatis ministerialis, facile redditur ratio cum Altissiodorensi, nimirum, quia esset signum falsum in Christo, utpote qui per nullum Sacramentum accepit potestatem Ministe-

rialem: cætera verò quæ Character potest significare, sufficienter significantur per viationem posttaticam. Denique in sententia contraria non possunt Angeli discernere Sacerdotem à non Sacerdote &c. quia etsi videant ornatum, actionem tamen assumptionem non vident.

660. Restat solummodo declarandum, in quoniam consistat hæc ratio Signi Naturalis. In qua re sunt duæ sententiæ, ambæ probabiles. Prior est P. Esparza, qui docet, Characterem esse speciem impressam, cujus officium sit, consistere loco objecti ut imago illius, nimirum sui Sacramenti exhibiti. Verum, quia species impressa primario datur, ut serviat illi intellectui in quo recipitur, Character autem videtur potius esse signum alijs, & præterea quia ratio potest impressa non inferret irreiterabilitatem Sacramenti, cum posset intendi vel multiplicari, ut est Secunda Sententia mihi probabilior, quia Character sit quedam objectiva similitudo & quasi figura, in qua tanquam in Medio cognoscitur, scatur Sacramentum & potestas Ministerialis perpetua ac stabilis, hoc est, tamdiu durans, quamdiu durat ipse Character, qui, ut jam videbimus, est ex Natura sua perpetuus. Ita videtur lenius P. Salas 1. 2. tr. 2. disp. 8. f. 3. à n. 61.

661. Queritur 4. An Character sit ex Natura sua indelebilis, vel solum ex Dei ordinatione & Decreto.

Dicendum 4. Esse ex Natura sua indelebilem. Ratio, quia producitur à Deo, & inde indebitum exigit conservari, cui nullum agens potest resistere; & insuper character nullum habet contrarium, à quo formaliter expellitur, sicut figura expellitur calore. Ac denique nullus apparet tibi propter quem desinat conservari, quia si finis est in impulsu aut speciebus sensuum, quæ multorum sententia sine vilo contrario potest tantum ad tempus conservari.

662. Dices 1. Gratia sanctificans est nobilior Characterē, & tamen destruitur per peccatum: ergo & Character naturaliter destruitur peccato. 2. Negando Consequentiam & pariter, qui peccatum est contrarium Gratia: nullum autem datur contrarium Characteris.

Replicabis. Quin imò etiam Character debet contrarium, nempe voluntatem non recipiendi Sacramentum: & à negatione huius voluntatis pendet character in fieri: ergo etiam superveniente huiusmodi voluntate poterit character deleri. 2. Negando, vel distinguendo antecedens: pendet Mediatè, concedo, Immediatè nego. Character enim non ratione sui per se ponit negationem illius voluntatis, sed ratione Sacramenti, quod esset penitus nullum, si adesse voluntas non recipiendi Sacramentum. Postquam autem Sacramentum semel est valide collatum, non potest amplius fieri, ut non fuerit collatum: cum ergo Character tantum supponat hoc quod est, Sacramentum fuisse validum, non potest illa retractatio esse contraria Characteri.

CAPUT

CAPVT IV.

DE MINISTRO SACRAMENTORVM.

CONTROVERSIA I.

Qualis Intentio requiratur in Ministro ad Valorem Sacramentorum.

663. **E**st controversia, vtrum ad validè con-
ficiendum Sacramentum satis sit, si
Minister ponat exteriores actiones
requisitas, v. g. si abluat, & verba
Formæ proferat, etiam si præter hæc nihil aliud in-
tendat, nec implicite, nec explicitè. In quo
puncto est Catholica Veritas, in Concilijs defini-
ta, requiri Intentionem faciendi quod facit Eccle-
sia. Cæterum, hæc ipsa verba detecta sunt à qui-
busdam in sensum alienum ab Ecclesiæ mente.

664. Catharinus in opus. de Intent. Mini-
stri, & Sylvester in v. *Baptismus* docuerunt, suffi-
cere ad valorem Sacramenti, si Minister intendat
facere actus externos eo modo quo fieri solent
ab Ecclesia, & quidem ita vt exterius non appa-
reat animus non agendi serio, etiam si forte non
ad sit animus faciendi Sacramentum. Hanc sen-
tentiam jam sepultam & abolitam (inquit Lugo)
novissimè resuscitare & tueri conatus est Joannes
Marius Scribonius, natione Gallus.

P. Jo. Dicastillo non ferens hoc Lugonis di-
ctum, prolixè conatur ostendere, hanc sententiam
esse plurimum Recentiorum quàm existimet Lugo,
citaturque pro ea Bartholomæum ab Angelis, Mi-
chaelem Zanardum, P. Valentiam & S. Thomam.
Quod attinet ad S. Thomam, cui eam etiam tri-
buit Catharinus & Sylvester, ejus mentem infe-
rius diligenter investigabimus & apertiemus. Cæ-
teri verò à P. Dicastillo citati, procul absunt ab
hæc sententia, & aliam diversam tradunt, & est
hæc. Si fortè in Ministro desit intentio facien-
di Sacramentum, & hoc exterius constare non pos-
sit, tunc existimant isti AA. Deum ex infinita
sua bonitate suppleturum esse illum defectum in-
tentionis, conferendo illi homini non quidem
Characterem (ob nullitatem Sacramenti) sed Gra-
tiam sanctificantem. Ita docent citati AA. apud
Fillucium, Suarezium, & Dianam 3. p. tr. 4. re-
sol. 17. quæ sententia multum vtiq; differt à
sententia Catharini & Sylvestri, cum hi asserant,
tunc adhuc validum fore Sacramentum, & qui-
dem Sylvester ipse has duas sententias, tanquam
ab invicem diversas refert.

Sententiam Catharini hodie carere omni
probabilitate, nec post Tridentinum posse tolera-

ri, fatetur ipse Dicastillo. An idem dicendum
sit de sententia Zanardi, Valentia &c. adhuc sub
iudice lis est, vt colligo ex Card. Pallavicino,
sic loquente. [Nec sufficit voluntas serio agendi
illam actionem exteriorem, quidquid sit, an
sit probabile, Deum semper supplere, quando ex
fraude occulta Ministri vitaretur Sacramentum.]

665. Dicendum est, non sufficere inten-
tionem faciendi actiones exteriores, ad similitudi-
nem actionum quæ sunt ab Ecclesia, cum nega-
tione manifestationis animi non serio, prout vo-
lebat Catharinus. Hæc fuit sincera mens Flo-
rentini & Tridentini, quando dixerunt, requiri,
vt Minister intendat facere quod facit Ecclesia.
Quorum verborum sensus non est, quòd debeat
intendere facere illas actiones, quas facit Ecclesia:
sed quòd debeat intendere per has actiones effice-
re id quod efficit Ecclesia, seu, ad quod efficien-
dum ab Ecclesia usurpantur.

Quòd autem requiratur animus reiprà serius,
nec sufficiat, animum non serium occultasse, cla-
rissimè docet Tridentinum, dum dicit, si Sacerdo-
ti animus serio agendi & absolvendi desit, pœni-
tentem non esse absolutum.

666. Probo vterius Conclusionem 1.
Qui habet occultum animum non conficiendi
Sacramentum, non vult verè Baptizare, Absolve-
re &c. ergo qui habet talem animum occultum,
non vult facere, quod facit Ecclesia: nam Eccle-
sia vult Baptizare, Absolvere: ergo hoc ipso non
habet intentionem quam requirit Tridentinum.

Probo 2. Ex verbis quibus Christus insti-
tuit Sacramentum Pœnitentiæ. Jo. 20. *Quorum
remiseritis peccata, remittuntur eis.* quæ sanè verba
non sunt vtroque intelligenda de actuali remis-
sione; sic enim esset propositio ridicula, expli-
cans actiivum per passivum, ac si dicerem: *quem tu
amaveris ille amatur.* sed sensus est: quorum pec-
cata vos volueritis remissa, remittuntur: ergo
Christus requirit seriam voluntatem liberandi à
peccatis.

Probari potest 3. Ratione qua vtitur Card.
de Lugo, à sensu contrario. Si voluntas requi-
sita faciendi quod facit Ecclesia, est voluntas fa-
ciendi exterius rem serio, quia hoc est quod ex-
teriùs

terius facit Ecclesia, tunc si quis e contra haberet verum animum baptizandi infantem moribundum, sed ne agnosceretur Christianus, fingeret exterius, se joco proferre verba, non baptizaret validè: consequens videtur durum: ergo & id ex quo sequitur.

Respondebis. Ecclesiam duo facere: actiones externas sine joco externo, ac deinde Sacramentum cum effectu illius: sufficere autem, ut alterutrum ex his velit facere Minister: & in casu posito vellet facere posterius.

Sed contra. Concilia loquuntur indefinitè requirendo intentionem faciendi quod facit Ecclesia: ergo requirunt intentionem faciendi, quidquid facit Ecclesia, & non satis est, aliquid tantum illius velle facere.

667. Ratio denique à priori est hæc. Illa intentio requiritur, quæ sit apta denominare *Ministram* Christi, hoc est operantem nomine Christi, & ex commissione Christi: atqui talis non est intentio præcisè faciendi actiones externas: ergo hæc non sufficit. Major & minor propositio declaratur. Dupliciter possunt fieri illæ actiones externæ ab homine: nimirum, vel suo proprio nomine & auctoritate, vel nomine & auctoritate Christi, qui tales actiones instituit, & ad illas exercendas Ministros ordinavit. Priore modo exerceret quis illas actiones, si vellet alium præcisè docere, quomodo deberet administrare Sacramentum, etiam dum alter non vult recipere Sacramentum, sed tantum discere modum administrandi: vel si quis in comœdia repræsenteret. Posteriore modo fiunt tunc, quando quis vult agere Ministerium Christi, & potestatem à Christo sibi concessam exercere. Priore modo factæ non sunt elevaræ ad rationem Sacramenti, sed secundo modo, dicente Apostolo 1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei: ergo ut illæ Cæremoniæ evadant Sacramentum, debent fieri nomine & auctoritate Christi: atqui nemo operatur nomine & auctoritate alterius, nisi habeat intentionem operandi ex indifferentiam illarum actionum ad hoc, ut fiant vel proprio vel alieno nomine: ergo non sufficit intentio faciendi præcisè illas actiones, hæc enim non tolleretur illam indifferentiam, sed requiritur intentio vel explicita vel implicita faciendi illas nomine Christi, & sic efficiendi per illas Gratiâ sacramentalem.

668. Obijciunt Adversarij primò S. Thomam, qui in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. *questiunc.* 1. querens an requiratur intentio Ministri ad perfectionem Sacramenti, & secundo loco obijciens, quia si hæc requiretur, non essemus certi de veritate Sacramenti, responderet, in illis Sacramentis quæ consistunt in actione Ministri, non requiri mentalem intentionem, sed sufficere expressionem intentionis per Verba ab Ecclesia usurpata: [& idem, inquit, si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam ex-

primat, baptizatus est.] In secundo verbo *idem* a. 2. ad. 1. omittit hæc verba: *et idem*. Quæ in summa q. 64. a. 8. ad. 2. sic loquitur. [Et melius dicunt, quod Minister Sacramenti est persona totius Ecclesiæ cuius est Minister: inter his autem quæ proferit, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, contrarium exterius exprimitur ex parte Ministeris vel recipientis.

Propter hæc aliqui DD. judicant, S. Thomam fuisse propensum in sententiam Catholicam, neque tamen hoc illi vitio vertendum esse, qui scripserit ante Tridentinum & Florentinum Concilium. Alij variè explicant, quæ quædam rejicit Lugo, neque tamen ipse meliorem applicationem.

669. Ego existimo primò, S. Thomam in 4. sententiarum tam in primo quam in secundo scripto suspensum adhuc fuisse, neque satis determinasse se circa duas sententias quas ibi tenet. Ratio mea est, quia neutram rejicit, nec utriusque defert, sed præcisè eas refert, ex suo tamen sensu nihil statuit.

Existimo 2. S. Thomam postmodum in Summa accessisse nostræ sententiæ. Ratio prima est, quia expressè requirit, ut Minister agat in persona totius Ecclesiæ: hoc autem non potest stare cum interna intentione non facendi sacramentum, quandoquidem debet velle facere, ad quod est constitutus Minister: atqui est constitutus ad faciendum Sacramentum: ergo debet hoc velle facere, saltem implicitè. Secundò ratio est, quia in responsione ad. 1. dist. 6. requirit intentionem instrumenti animi, quia subijciat principali agenti, ut scilicet intendere quod facit Christus & Ecclesia: quæ sunt verba ipsissima Conciliorum. Denique a. 10. sic habet. [Intentio Ministri potest periri dupliciter, uno modo respectu ipsius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, & talis pervertas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat.] *Obijcienda est particula. Præcipue, qui tenet S. D. se quidem existimare, etiam sine tali manifestatione vitari Sacramentum, quia tamen nec temporis aliqui DD. requirebant exteriorem manifestationem animi jocularis ad vitandum Sacramentum, ex quadam erga illos reverentia, illam particulam & limitationem adiecit.*

670. Obijciunt 2. Baptismus, quo abstinatus adhuc puer ludens cum pueris Judæis, baptizavit, repræsentando personam Episcopi: ille baptismus fuit ab Ecclesia ratificatus. 2. Athanasium quidem ludendo baptizasse, sed de serio examinatum fuisse, ac deprehensum, quod habuerit veram intentionem faciendi Christianum, neque enim alios præterquam Catechumenes necdum baptizatos baptizavit.

671. Obijciunt 3. Genesius Mimius Martyr, qui baptismo ludicrè collato iustificatus fuit.

8. Hoc exemplum nihil patrocinari adversariis: primò enim intentio ludicra fuit exterius manifestata, quo casu etiam adversarij fatentur non fieri Sacramentum; 2. Quia etiam ipsi requirunt in adulto serium consensum in Sacramentum, qui tamen in casu objectionis videtur defuisse, non minùs quàm in baptizante. Dicendum ergo est, vel Deum extraordinariò utrumque illuminasse, & movisse ad volendum verum Baptismum, vel Genesum fuisse justificatum per actum Contritionis, & in honorem veri Baptismi omnem penam fuisse remissam. Et quidem in Genesio facillè defenditur sufficiens desiderium baptismi, fuit enim repente per Angelum edoctus de virtute baptismi, vnde baptismum postea seriò petijt, ita ut propterea Martyrio fuerit affectus. Poterat item facillè in ficto Ministro excitari intentio generalis, facienda, quidquid Christiani per tales actiones suà opinione efficiunt; postquam nimirum spectavit mirabilem in Genesio mutationem, pallorem, lacrymas, ardens desiderium baptismi, quo deleterentur peccata, quæ Angelus in libro descripta exhibebat.

672. Obijcitur 4. Baptismus collatus à quodam Judæo, & à Pontifice Nicolao I. approbatus; non est autem credibile, quòd Judæus habuerit intentionem faciendi Christianum. 8. Pontificem ad id respondisse, quod ab ipso querebatur: non querebatur autem quidquam de Intentione, sed an ad valorem baptismi requireretur, ut Minister esset ipse quoque baptizatus, & sic ex hoc capite baptismus à Judæo collatus nullus esset, quod negat Pontifex. Supponebant ergo consulentes, Judæum habuisse sufficientem intentionem: quod quidem nihil est incredibile, fortassis enim fuit Catechumenus, aut ad Christianismum propensus, & gnarus in quem finem baptismus conducere ac necessarius esset.

673. Obijcitur 5. S. Augustinus lib. 7. de bapt. contra Donatistas c. 53. ubi docet, illos qui fallaciter datum baptismum fallaciter acceperunt, verum nihilominus habere baptismum: atqui fallaciter dare & accipere baptismum, non videtur aliud esse, quàm dare & accipere sine intentione Sacramenti. 8. Excontextu apparere, quòd S. Augustinus per baptismum fallaciter acceptum & datum, aliud non intelligat, quàm datum & acceptum sine fide, adeoque cum frustratione effectus primarij, nempe Gratiæ justificantis. Præterquam quòd S. Augustinus in illo loco nihil voluerit auctoritative statuere, prout ipse fatetur, operans, ut plura alia de quibus ibi dubitat, ab Ecclesia definirentur, ut bene advertit P. Dica-tillo.

674. Obijcitur 6. Ex nostra doctrina sequi videtur, homines non esse securos de valore Sacramenti, & de Gratiæ per Sacramentum obtenta, quia incertum est, an Minister habuerit intentionem extendentem se ad aliquid aliud, quàm ad actiones exteriores. 8. 1. Incertitudo Gratiæ est conformis S. Scripturæ, Eccles. 9. Ne-

scit homo, verum amore an odio dignus sit; & Trid. sess. 6. c. 9. 8. 2. Eandem ferè haberi certitudinem in nostra sententia, quæ in adversarijorum. Nam communiter homines fidunt Ministro, & non attendunt, an proferat verba essentialia, & plurimi hæc non intelligunt, ut patet in Sacramento Pœnitentiæ; in consecratione nemo audit verba: si ergo homines hoc non obstante putant se esse moraliter certos, possunt etiam fidere quoad intentionem. Accedit, quòd defectus Intentionis Ministri, non possit esse nisi rarissimus. Sciunt enim, Ecclesiam uti talibus actionibus, ad homines aliquo modo sanctificandos. Deberet ergo defectus provenire ex Malitia, & intuitu alicujus emolumenti humani, hujusmodi autem emolumentum non apparet, quod vel apparenter præponderet malo peccati incurrendi per voluntariam omissionem debite intentionis, nisi fortè Minister sit homo veneficus, aut illo non multò melior, ut etiam notavit P. Esparza, talis autem si sit Minister, potest semper nobis reddere Sacramenta incerta, tum administrando voce submissâ, & aliquâ essentiali omisâ, tum adhibendo Materias tantùm apparenter veras &c.

675. Obijcitur 7. Ad valorem contratum, vel cujuscunque alterius actus legitimi, sufficit exterius prestare actiones requisitas, etiam si ficto animo fiant: ergo idem de Sacramentorum administratione dicendum est. Probatur consequentia: quia committuntur homini administranda humano modo. 8. Antecedens esse falsum in veriore sententia: certè ad liberalem donationem, qualis fit per Sacramenta, omnes requirunt intentionem conformem verbis, hoc est, animum transferendi Dominium. Deinde dato antecedente, negatur consequentia & paritas; quia ut bene observavit Esparza, hoc ideo esset in humanis actibus, quia homo non potest inueneri cor & animum alterius: Deus verò intuetur animum Ministri: ergo si in Ministro non adest animus operandi nomine Dei, Deus quoque non vult prestare illum effectum, quem præstat, quando Minister vult agere nomine Dei.

676. Obijcitur 8. Illa voluntas sufficit ad Sacramentum, quæ sufficit ad ponendas illas condiciones, quibus positis confertur Gratiæ: sed actiones externæ sunt illæ condiciones, quibus positis confertur Gratiæ, & ad illas ponendas sufficit intentio Catharini: ergo etiam sufficit ad Sacramentum & ad Gratiæ conferendam. 8. Actiones externæ non esse condiciones ad ponendam Gratiæ, nisi sint factæ nomine Christi: hæc autem denominatio provenit ab intentione agendi nomine Christi. Ratio jam est data, quia Minister non est sicut instrumentum inanimatum, sed per modum Procuratoris aut Vicarij.

677. Obijcitur 9. Signa significant independentem ab intentione ejus qui vitur signo: ergo & Sacramenta significabunt, & significando causabunt gratiam, etiam si non adsit intentio significandi & causandi Gratiæ. 8. Antecedens

Eccc

dens

dens non esse universale, sed particulare. Certum enim est, aliqua signa non esse signa vera, nisi addit animus significandi. Ceterum Christus noluit actiones externas esse signa Gratiae, nisi ut factas nomine suo.

678. Objici posset ultimum. Non potest assignari ullum objectum, quod debeat velle Minister praeter & ultra actiones externas: ergo sufficit velle actiones externas. Probatur antecedens. Nam illud deberet esse Gratia: sed hanc non debet Minister velle. Nam haeretici non habent intentionem conferendi Gratiam, quia non credunt eam causari à Sacramentis, & tamen eorum Baptismus valet. item quisvis gentilis potest valide baptizare, etiamsi nihil sciat de Gratia conferenda. R. Gratiam esse illud objectum. Non est tamen necesse, ut Minister eam velit explicitè & formaliter, sed satis est, si eam velit implicitè, virtualiter, interpretativè, æquivalenter; hoc est, modò velit aliquid vel identificatum cum Gratia, vel necessariò connexum cum collatione Gratiae. Hinc valent omnes Intentiones his vel similibus verbis expressæ. Volo per has actiones facere, quòd per illas intendit facere Ecclesia: vel: quòd per illas fieri vult instituens. vel: volo illas prodesse meliore modo quo possunt. &c.

CONTROVERSIA II.

Utrum ad conficiendum Sacramentum sufficiat Intentio Habitualis, Virtualis, Indirecta.

§. I.

Explicatur diversitas harum Intentionum.

679. Quadruplex Intentio distinguitur in praesenti. Alia est Actualis, alia Habitualis, alia Virtualis, alia indirecta, vel ut alij vocant, interpretativa. Intentio actualis est, quando habeo actum, de praesenti, & pro hoc instanti intentionem baptizandi; & de hac nulla est dubitatio, quòd sufficiat. Intentio Habitualis, prout à Virtuali distinguitur (nam à quibusdam nomine tenus confunduntur, prout etiam fecit S. Thomas a. 8. ad 3.) aliud non est, quàm intentio praeterita, non retractata: vnde dicitur *habitualiter* perseverare, ad eum modum quo peccatum praeteritum tamdiu dicitur *Habitualiter* Voluntarium, quamdiu illud non retractamus. Intentio Virtualis est, quæ quidem est aliquo modo praeterita, manet tamen in aliqua Virtute post se relicta, & sic influit in opus, atque ideo opus etiam de praesenti dicitur fieri ex illa intentione; v.g. ex intentione Mercedis incipiens laborare, dicitur intendere lucrum toto laboris tempore, etiamsi dum laborat, sæpè sit ad alia distractus, nec de lucro explicitè cogitet. Est autem questio philo-

sophica, in quo sita sit illa virtus; & infra referuntur opiniones varias. Intentio Indirecta est, quando quis vult causam, ex qua praevideat effectum secuturum: ut si quis sciens se solere in ebrietate exercere actiones Sacramentales, hoc non obstante se inebriaret: qui tamen calus quoad Sacramenta est satis metaphysicus.

§. II.

De Intentione Habituali.

680. Dicendum 1. Ad valorem Sacramenti non sufficit Intentio Habitualis, hoc est, quæ tantum perseverat in negatione retractionis. Probatur. Intentio Ministri debet vel immediate vel mediata influere in actiones Sacramentales: Intentio merè Habitualis nullo modo influit in illas; ergo non sufficit. Major patet. Nunc actiones Ministri quæ talis, debent procedere ex intentione Ministri quæ talis: ergo intentio debet influere in actiones. Minor vero probatur. Negatio Intentio quæ nec in se, nec in aliquo sui causa, sed omnino est praeterita, non influit vltimo modo: sed intentio purè habitualis est talis; ergo &c.

681. Dices 1. Actiones Sacramentales procedunt ab intentione praeterita mediante negatione revocationis. Sed contra 1. Negatio retractionis, non est effectus praeterite intentionis: existeret enim eodem modo, etiamsi nulla intentio praecessisset. Contra 2. Negatio retractionis non est activa, nec est illud quòd determinat Ministrum, ut post elapsam & praeteritam jam intentionem, ponat postmodum actiones Sacramentales: defacto enim frequentissime existit negatio retractionis, quin deinde ponatur actiones Sacramentales.

682. Dices 2. Negatio retractionis denominat actum peccaminosum praeteritum actum voluntarium, etiam pro tempore poenitentiae, qui non existit: ergo potest etiam denominare actiones Sacramentales voluntarias subsequentes. R. Negando consequentiam, & pariterem inter actum praeteritum & futurum. Actus praeteritus ideo denominatur voluntarius quamdiu non retractatur, quia quòd vltimò placuit, coelestis in iudicio hominum tamdiu placere, quamdiu non retractatur: at verò ad hoc ut actus futurus sit voluntarius respectu intentionis praeteritæ, debet illa intentio aliquo modo influere, quia debet verificari, quòd actio procedat ex illa praecedente intentione.

683. Dices 3. Potest alicui hodie applicari sacrificium cras offerendum, & valet applicatio etiamsi applicans cras dum celebrat, nullum habeat cogitationem de illa applicatione, adeoque etiamsi hesternæ applicatio nullo modo influit in sacrificium: ergo etiam hodierna intentio potest facere, ut crastinae actiones sint Sacramentales, etiamsi nullo modo influant. R. Transfertur antecedens, cujus examen aliò spectat, negatur consequentia.

sequentia. Disparitas est, quia applicatio Sacramenti quoad suos fructus, est instar donationis facta in diem; v. gr. si tibi donem librum in crastinum, tunc crastino die liber incipit esse tuus, absque ulla donationis repetitione aut renovatione, si quidem facta sit traditio, quae jure civili requiritur. At verò ut à me cras fiat Sacramentum, debent à me cras poni actiones, & illae debent procedere ab intentione requisita ad Sacramentum, debent enim fieri à Ministro.

§. III.

De Intentione Virtuali.

684. Dicendum 2. Intentionem virtualem sufficere ad valorem Sacramenti. Probat. Nisi enim haec intentio sufficeret, innumera Sacramenta dubia redderentur, innumeris scrupulis implicarentur fideles, atque Sacramentorum administratio periculosissima, obligatio ea administrandi exosissima redderetur, & supra vires humanas esset: quotusquisque enim est, qui cavere possit minimas distractiones in hujusmodi actionibus?

685. Quaestio subtilior est, qui fieri possit, ut non obstantibus hujusmodi distractionibus animi ad alia objecta, nihilominus actiones externae non solum recte fiant, sed etiam procedant ex praesistente explicita intentione: & quinam sint illi effectus, quibus mediante explicita intentio jam praeterita, influat in actiones externas.

686. Prima sententia est Scoti, Vasquez, Suarez, eamque ex professo propugnat Arriaga, contra Lugonem; Sufficere, si potentia externae fuerint ab illa intentione semel applicata, & sic inceperint operari, quo facto pergunt postmodum continuare reliquas actiones, absque interveniendi illius actus appetitivi praesentis, & de praesenti imperantis illas actiones.

Haec tamen sententia merito rejicitur à RR. Nam saepe subsequentes actiones sunt valde disparatae, & nullam inter se physicam connexionem habent, sicut habent partes motus lapidis deorsum cadentis. In exemplo. Quando Clericus continenter legit ex Breviario aliquot psalmos distractus: interponit Gloria Patri, quod in Breviario non est positum: item quando se vestit ad celebrandum, deinde cetera omnia ordinatè peragit, cum summa licet distractione: quis sibi persuadeat, potentias externas omnia tam ordinatè facturas, si nullus interveniret praesens actus imperans illas actiones?

Confirmatur ab experientia manifesta. Quando quis inter recitandum incipit obdormiscere, statim lingua subsistit, & ab officio cessat, non cessatura si somnus abesset, etiamsi distractiones adessent. Atqui non cessaret ob somnum potius quam ob distractiones, si ex praeterita applicatione potentia externae haberent physicam determinationem & necessitatem sic operandi:

ergo ideo cessant, quia cessat omnis actus imperans.

687. Secunda sententia docet, durantebus distractionibus semper intervenire & continuari veros actus voluntatis rationalis, imperantes cum sufficiente libertate ad honestatem illos actus externos. Ita Lugo & Dicalillo. Verum huic sententiae difficultatem movet experientia. Vix enim potest negari, distractiones quandoque tam vehementes esse, ut excludant libertatem observantiae ad honestatem actionis. v. g. cum quis dicit Missam pro defunctis, & ex distractione recitat ea, quae alioquin bene scit secundum Rubricam fore omittenda: item cum facit crucem supra aquam vel Evangelium &c. quis credat haec tunc fieri ex motivo honestatis, cum sint prohibita? Judicium enim honestatis debet explicitè affirmare, objectum non esse prohibitum.

688. Tertia sententia est P. Conink, qui vult, ex prima operatione humano modo facta, nasci impressionem in imaginatione, vi cujus impressionis fiunt deinde ceterae actiones. Haec sententia dat verba, quae mysterium quod quaerimus non aperiunt.

689. Quarta sententia, ceteris, ut mihi videtur, probabilior, est Card. Pallavicini, quae sic distinguit. Quoties voluntas rationalis est soluta, hoc est, quoties datur sufficiens usus potentiae intellectivae, dirigentis voluntatem rationalem, toties in homine ad motus spontaneos requiritur actus voluntatis rationalis: semper enim cognitioni rationali responderet actus in voluntate, quia potentia superior determinat inferiorem seu subordinatam ad operandum. Si verò potentia voluntati ex defectu cognitionis intellectivae est ligata, possunt illae externae actiones peragi dependenter ab appetitu sensitivo. Quandoque autem hoc aut illud accidat, nemo potest accuratè ne quidem in seipso discernere.

690. Contra hoc ultimum obijci solet 1. Ergo talis distracta oratio non augeat meritum. hoc autem est durum. 2. Imò est juxta sensum fidelium, non augeri, parvi facientes orationem distractam, quamvis involuntariè, peractam. Neque refert, quòd per talem distractam orationem satisfiat praecepto Ecclesiae, nam ex communi sententia satisfiat praecepto per orationem etiam cum voluntaria distractione peractam, & tamen de tali oratione nos accusamus in confessione, tantum abest, ut pro ea speremus praemium. Denique ipse Lugo n. 103. fatetur, in Ministro distracto saepe non adesse libertatem.

691. Obijcies 2. Ex Card. Lugo. Tempore distractionis saepe fiunt actiones tam artificiosae, ut non videantur à sola imaginativa dirigi posse, sunt enim opera artis: ars autem est habitus intellectualis. Responderet acutè Pallavicinus n. 105. aliud esse id quod requiritur ad aliquam artem comparandam, aliud verò id quod requiritur ad eam exequendam. Ad primum necessarius est intellectus, non item ad secundum, hoc est

Eccc 2

ad vsum

ad usum artis acquisitæ. Vnde licet nulla ars ab amente, ebrio, aut somniente posset rectè acquiri, benè tamen possunt ab illis exerceri, si jam sint acquisitæ. Ratio est, quia ad exercitium artis duo tantùm requiruntur; primum est, cognitio complexa earum actionum, quarum ordinatum usum exigit ars, & hæc facillè excitatur à speciebus complexis ex habitu comparatis. Secundum est, æstimatio bonitatis in ejusmodi actionibus, & hæc pariter haberi potest sine operatione intellectus, ex eo quòd aliàs judicaverimus tales actiones ut bonas, & in imaginativa remanserint species illius actionis ut bonæ: semper enim cognitionem intellectivam comitatur imaginativa, repræsentans aliquam secundariam bonitatem, appetitui sensitivo proportionatam, etiam in objecto honesto, & hujus phantasia species manent, ac deinde excitantur ob connexionem cum alijs prioribus excitatis, moventque mediâ apprehensione imaginativâ ad actum prosecutionis, hoc est, ad actum appetitivum imperantem actiones externas.

§. IV

De Intentione indirecta.

692. Dicendum 3. Intentionem indirectam, in sensu superius explicato, non sufficere ad valorem Sacramenti. Declaratur in casu vulgari. Aliquis frequenti experimento edoctus, se in ebrietate vel somno solere proferre verba Consecrationis supra panem vel vinum, vult nihilominus se inebriare: tali casu si postea proferat verba, non consecrat. Ratio est, quia nisi verba intendantur directè à loquente, non dicitur per illa loqui, aut suam mentem manifestare humano modo: nam verba debent proferri animo manifestandi mentem: ergo debent directè ut medium intendi. An autem hæc directæ intentio sufficiat jam videbimus.

§. V.

An sufficiat Intentio directè intendens actiones Sacramentales per Medium privans usu rationis.

693. Quæritur jam ulterius, an valeret consecratio in casuposito, si Sacerdos directè intenderet actionem Sacramentalem mediante ebrietate, inebriando se in eum finem, ut deinde proferret verba consecrationis. Respondent DD. Negativè. Verùm admodum difficulter redditur hujus rei Ratio, & vix assignari potest discrimen inter hunc casum & illum, quo quis conficit Sacramentum cum tanta distractione, quæ impedit omnino libertatem circa actiones Sacramentales.

694. Card. de Lugo postquam varia tenuisset, tandem hanc rationem assignavit. [In casu quo ebrietas adhibetur ut Medium, verba non proferuntur humano modo, ad significandum

idoneo.] Ego quidem hoc verissimè dictum existimo, atque ex omnium sensu. Verùm sic nec dum est soluta difficultas: restat enim hoc ipsum declarandum, cur in ebrietate non sunt actiones humano modo, & fiant tamen humano modo in distractione, etiam tollente libertatem actualem. Pergit ergo Cardinalis hoc declarare. [Vult, inquit, non significant, quid profertur nunc sententia de re significanda, sed quid nunc de presenti, dum profert, sentiat: ebrius autem non potest de presenti humano modo significare, potest tamen distractus, etiam quando non est liber, quia in ebrio potentia non est integra, & soluta, sed ligata, in distracto vero est tota potentia, licet non totaliter attendat ad objectum, in ebrio verò non est tota potentia, sed semipotentia.]

695. Non acquiescit huic declarationi P. Dicastillo, quærens ex Cardinale, an illa Semipotentia manens in ebrio, sit pars antica an postica, dextra vel sinistra, superna vel inferior? Ceterum pro Lugone respondeo, non ignorari visibilitatem potentiarum, nec in tam crasso sensu dictam esse semipotentiam, sed sensum effectuum: nempe in homine distracto dicuntur omnes animæ potentie esse solute ad operandum, quia licet non operentur circa illud objectum, circa quod est distractus, hoc ipso tamen quia illa est distractus, circa alia occupantur, & non sentitur: in ebrio verò potentia intellectiva formaliter considerata perinde se habet, ac si non ebrius, quia tota est otiosa & impedita ad intelligendum, quare in æstimatione prudentum ebrius est potius bestia quam homo, & sic censetur habere semipotentiam.

696. Fateor nihilominus, quòd Responsio Cardinalis difficultatem non exhauriat. Primum, quia potest quis ita distractus esse, & ad alia objecta quoad intellectum ita abreptus, ut voluntati nullum planè proponatur objectum cum sufficienti indifferentia requisita ad libertatem, & speculando aliquod objectum nullo modo eligibile. In quo casu potentia volitiva circa nullum objectum potest actum liberum exercere, licet nec in ebrietate: ergo in hoc casu non erit dissimilitudo cum casu ebrietatis. Secundò, Deum quòd nec potentia intellectiva nec volitiva sit ligata simpliciter & absolute in homine distracto, est tamen ligata respectivè, hoc est, respectu actionis vel consecrationis faciendæ perinde est impedita, ac si nihil operaretur. quòd enim operetur circa alia objecta, est per accidens; quia illa operatio non influit in orationem aut consecrationem: ergo verba prolata à distracto non videntur magis quam in ebrio posse significare mentem præsentem loquentis: reverà enim per distractionem mens in æstimatione morali hominum, censetur penitus abesse.

697. Respondent ergo alij 2. & alij 3. significant discrimen inter ebrium & distractum: mirum quòd distractus censetur moraliter libere esse præfens, quia facillimè potest ad attentionem revocari.

revocari ab extrinseco, v. g. si quis illum mone-
ret: ebrius verò non potest ita ad sobrietatem &
attentionem revocari.

Sed contra 1. Etiam somnians potest facile
excitari, & tamen de somniantem non admittitur,
quod admittitur de distracto. Contra 2. Fin-
gamus, quòd ebrius haberet presentissimum
remedium ad pellendam in momento ebrietatem,
& simul haberet hominem, qui posset ad libitum
applicare remedium, non propterea valeret talis
hominis consecratio. Contra 3. Ponamus di-
stractum posse difficillimè ad se revocari, sicut
ectatici, nihilominus illius consecratio valeret.

698. Tertiò respondent alij, discrimen
esse, quòd ebrietas in casu posito, ita sit impedi-
tiva rationis, vt simul ipsa sit causa talis opera-
tionis v. g. consecrationis: quia consecratio non es-
set futura, nisi talis in ebrietate constitutus esset,
& ideo dicitur homo operari vt impeditus ab usu
rationis. At verò distractio non est causa opera-
tionis, quia operatio facilius & securius futura es-
set, si non adesset distractio, sed attentio, & ideo
non dicitur homo operari reduplicativè vt impe-
ditus seu vt distractus, sed specificativè, qui di-
stractus.

Sed contra, quia potest fingi casus, in quo
ebrietas non est causa consecrationis, eò quòd
hæc facilius esset futura, si abesset ebrietas, sicut
modò de distractione dictum est. Fingamus ergo,
aliquem bibisse vinum adustum in ea quanti-
tate, quæ post horam sit causatura plenam ebrie-
tatem, etiam si bibens non præviderit: deinde
post tres quadrantes incipiat legere sacrum, v. g.
in vigilia Nativitatis; huic præter omnem in-
tentionem superveniet ebrietas, & tamen ex vi
præcedentis intentionis sacrificandi, & deinde ex
vi imaginativa jam excitata, perget ordinatè fa-
cere omnia, sicut fieri debent: atqui esset hæc
omnia facturus, si ebrius non esset: ergo ebrie-
tas non est causa harum actionum, sicut non est
distractio: atqui talis consecratio adhuc non va-
leret: ergo nihil interest, utrum ebrietas sit vel
non sit causa seu conditio, sine qua non sequere-
tur consecratio.

699. Quarta ergo, & mihi vnicè sufficiens
responsio est, quàm dat Card. Pallavicinus his
verbis. [Verba requisita ad actum legitimum,
debent vel ex usu, vel ex pacto humano esse signa
interioris animi, aut præsentis, aut præteriti non
revocati: atqui verba prolata ab ebrio nec ex
usu, nec ex pacto humano sunt ejusmodi signa
interioris animi, licet per accidens ab eo pende-
ant: ergo non sunt sufficientia ad legitimandum
actum. E contra ejusmodi signa sunt Verba ho-
minis distracti; item Epistola quæ obligat, etiam
si, quando ea accipientem alloquitur, voluntas
eam scribendi jam diu sit transacta.] Hæc Palla-
vicinus: quæ adhuc magis explicari possunt, vt
mihi videtur.

Illæ itaque verba proferuntur Humano mo-
do, quæ in Contractibus & obligationibus sunt

apta significare animum se obligandi, & actum
ipsum legitimandi, & insuper talem animum
non fuisse revocatum. Duplici autem ex capite
possunt habere hanc vim significandi: vel ex pacto,
vel ex communi hominum usu. Priori mo-
do habet hujusmodi vim significandi Epistola scrip-
ta: si enim illi ad quem scripta est, non inno-
tuit revocatio animi, quando eam legit, habet
ex pacto vim inducendi obligationem, etiam si
interea animus esset revocatus, quia vi pacti præ-
cedentis inefficax est hujusmodi revocatio. Pos-
teriori modo habent verba hanc vim significan-
di, quando proferuntur ab homine distracto: cu-
jus ratio est, quia hujusmodi distractiones sunt
moraliter inevitabiles, & si impedirent valorem
actûs, nullius ferè actûs valor sibi satis constaret,
quin in dubium vocari posset, quod in humano
commercio esset summum inconveniens. At
verò verba prolata ab ebrio nec ex pacto habent
vim significandi, neque etiam ex usu communi
hominum: non enim habet communis usus, vt
verba obligatoria proferantur in ebrietate mora-
liter inevitabili. Sed de hoc satis.

CONTROVERSIA III.

Utrum ad valorem Sacramenti sufficiat Intentio Conditionata.

700. **N**otandum 1. Intentionem ex intrinse-
co modo tendendi aliquando esse abso-
lutam, aliquando conditionatam. Absoluta est,
quæ aliquid volumus nullâ expressâ conditione.
Intentio conditionata verò, quæ quid volumus
non absolute, sed cum restrictione ad certam
conditionem.

Notandum 2. Duo esse genera Conditio-
num, quæ adjici possunt objectis volitis, v. g. in
Confessione Sacramentorum. Aliquæ enim con-
ditiones dicuntur inesse ex Natura rei, & illæ sem-
per subintelliguntur, esto non exprimantur, vt:
Ego te absolvo, si es baptizatus, si peccasti, si habes
requisitum dolorem &c. Aliæ conditiones sunt
quasi extraneæ, sine quarum adiectione posset à
Ministro confici Sacramentum: vt: si parentes
tui consenserunt, ego te baptizo.

Notandum 3. Conditiones aliquando esse
de præterito, aliquando de præsentem, aliquando
de futuro. Porro, conditiones de præsentem &
præterito, faciunt vt intentio sit absoluta, etiam si
in modo tendendi sit conditionata: quare illæ
conditiones sunt pars constitutiva intentionis in
esse intentionis absolute: Nam intentio ex se po-
tuisset esse non absoluta, si nimirum conditio de-
fecisset.

Notandum 4. In conditionibus de futuro,
posse esse deceptionem. Aliquando enim viden-
tur esse de futuro, & reverà sunt de præsentem, v. g.
Absolvo te, si Deus scit, te cras facturum restituti-
onem &c. hæc inquam est conditio de præsentem.

Eccc 3

nempe

nampe scientia jam existens. Pari modo, ut bene notavit Arriaga, esse conditio de presenti, si quis diceret: *Absolve te, si cras restituas*, intelligendo: si hodie sit verum dicere, te restitutum: & hoc vel maxime in sententia eorum, qui omnia verificativa harum propositionum, volunt esse aliquid de presenti. Verum in communi acceptance reputantur inter conditiones de futuro, quia communiter accipiuntur in sensu suspensivo: v. g. dono tibi librum, si cras venerit mihi nuntius: Donatio fit quidem hodie, sed non fit pro hodie, sed pro crastino, & perinde est ac si dicerem: volo ut cras illo momento quo aderit nuntius, liber incipiat esse tuus. Et hinc est quod Matrimonium sub tali conditione contractum, censetur suspensum donec ponatur conditio: unde consequens est, ante conditionem positam, posse tales contrahentes mutuo consensu resilire, & impedire, ne postmodum etiam posita conditione, sit matrimonium, ut tradit Sanchez lib. 5. de Matrim. disp. 8. n. 1. Pari modo si unus contrahentium ante conditionem impletam aliam duceret absolute, & sine omni conditione, hoc Matrimonium valeret, quod verum non esset, si Matrimonium non esset suspensum usque in adventum conditionis. Quapropter si in alijs Sacramentis huiusmodi conditio adjiceretur, presummeretur Minister velle effectum Sacramenti suspendere: quia verò in alijs Sacramentis effectus suspendi non potest, ut dicitur inferius, ideo intentio suspensiva non sufficit ad alia Sacramenta. His notatis

701. Conveniunt DD. omnes, valide administrari Sacramenta sub illis conditionibus, quae ex Natura rei insunt Sacramentis. Controversum est, an valide administraretur Sacramentum sub conditione praesenti, vel praeterita vel futura extranea, cujus existentia nobis non constet.

702. DICO 1. Si conditio adjecta de praesenti existit, vel de praeterito existit, etiam si ejus existentia ignoretur, Sacramentum est validum. Haec conclusio est communis contra P. Esparza; eam vocant certissimam Suarez, Lugo, Dicastillo. Procedit autem conclusio etiam in casu quo Minister conditionem in sola mente adjicit, neque verbis exprimit.

703. Probatur jam Conclusio 1. Ex inconvenientibus quae contraria sententia debet admittere. Ponamus, quod quis contrahens Matrimonium cum sponsa quam putat Virginem, & quae revera est Virgo, in animo suo alliget intentionem Virginitatis, nemo sane ausit dicere, tale Matrimonium esse nullum, etiam si constaret talem intentionem esse adjectam: atqui secundum adversarium tunc esset nullum, quia conditio adjecta est extranea, & ejus existentia ignoratur: ergo &c.

Quia verò adversarius fortè in Matrimonio aliud diceret, propterea quod simul habeat rationem contractus civilis (quae tamen ratio non facit ad rem, ut constabit) ideo ad alia Sacramen-

ta argumentum transferamus. Sacerdos aliquis in Ecclesia Latina sciens esse graviter peccatum, consecrare in fermentato, semper in animo adjicit hanc conditionem: *volo consecrare si panis non sit fermentatus*. quis, obsecro audeat dicere, illum Sacerdotem nunquam valide consecrare: quod, attestante, & jurante Sacerdote, se habuisse huiusmodi restrictam intentionem, auderet habere eum panem profanum, aut iterum consecrare: de re men hoc rectè fieret in sententia adversarii, quia conditio adjecta est extranea, nam etiam si fermentatus potest valide consecrari: conditio autem extranea ignorata in sententia adversarii vitiat Sacramentum. Item absolvat aliquis in hac conditione: *si non es excommunicatus*, & *ex absolvo*. Vel Episcopus ordinet aliquem sub hac conditione: *si non es bigamus*, aut alius singularis: quis dicat haec Sacramenta hoc ipso esse nulla, si conditio ignoretur, & revera illi sit excommunicatus, nec bigamus &c. cum tamen haec sint conditiones extraneae, quia quandoque excommunicatus potest absolvi, si ignoretur, & Bigamus valide ordinari.

704. Probatur Conclusio 2. & qui a priori. Quando adest intentio sufficiens, materia & forma debita, validum est Sacramentum: atqui haec adfuit in casu posito: ergo &c. Minor quoad Materiam est certa: quoad formam probatur ex solutione objectionum: quoad intentionem probatur. Intentio absoluta faciens Sacramentum sufficit: Intentio in casu questionis est absoluta: ergo &c. Minor probatur. Intentio conditionata transit in absolutam purificata conditione: atqui conditio de praesenti vel praeterito est purificata, ut ponitur in casu, ergo transit in absolutam.

705. Objicit P. Esparza. [Conditio, inquit, ignota, aut non certo cognita, est impossibilis in ratione Sacramentalis significationis, ita completis Sacramentali significationem, quae non potest nisi incertè ducere in cognitionem collationis gratiae, cum tamen sit de essentia Sacramenti, ut quantum est de se, ducat in cognitionem illius, eamque certam.]

Hoc argumentum, nisi aliter promoveretur, non videtur habere difficultatem. Aliud est hanc propositionem esse certam: *omne Sacramentum est de se causativum gratiae*, & aliud: *huius nunc datur Sacramentum causativum gratiae*. Primum est de fide, & resolvitur in hanc conditionem: si datur Sacramentum, & non est obex, causatur gratia. Posterior propositio nunquam est certa nisi ex speciali Dei revelatione: quia semper ignoramus, an tam ex parte suscipientis quam ex parte Ministri adfuit omnia requirita. Hanc solam incertitudinem inducit conditio extranea, & nullam aliam: nullam ergo inducit incertitudinem quam non etiam inducant conditiones inexistentes, seu essentialiter requiritae. In forma ergo (quamvis revera argumentum non

habeat formam) distinguo. Sacramentum quantum est de se (hoc est, si non adsit obex) est signum certum gratiae quoad se, & in sensu jam explicato, & iterum explicando, concedo, quoad nos, subdistinguo. Illae partes Sacramenti quae nobis sunt sensibiles, sunt nobis certum signum gratiae, hic & nunc collatae, certitudine omnino absolutae, nego, certitudine conditionatae, nempe, si etiam reliqua adsint, quae non sunt immediate sensibilia, ut est intentio Ministri, & suscipientis, concedo, & nego hanc non haberi in Sacramento sub conditione extranea collato.

706. Explico responsionem. Quoad se certissimum signum gratiae est Sacramentum, quia intrinsece includit efficacem virtutem eam causandi. Quoad nos verò, qui illud videmus administrari, sed non videmus existere omnes partes requisitas, tantum certificatur conditionatè, si nempe existant hic & nunc etiam reliqua quae sub sensum non cadunt. Sicut ergo incertitudo proveniens ab ignorantia Intentionis Ministri, non obstat significationi Sacramentali, ita neque incertitudo proveniens ab ignorantia conditionis extraneae potest obstat, quia reverà hæc ignorantia non est alia ignorantia, quàm ignorantia intentionis in esse absolute. Et hæc ad argumentum propositum sufficiunt.

707. Ceterum, virgeri potest hoc modo. Verba Sacramentalia debent esse vera. sed si non adsit intentio absoluta quoad modum volendi, verba non sunt vera: ergo non sunt apta constituere Sacramentum. Minor probatur. Nam verba hæc: *Ego te baptizo, absolvo &c.* significant intentionem absolutam, & ab omni conditione liberam, quia nullam conditionem exprimunt: ergo si non adsit talis intentio, verba non sunt vera. atqui intentio adiciens conditionem, non est talis, ergo &c. R. Negando Minorem. ad probationem nego antecedens, & dico, quod verba illa significant, adesse intentionem faciendi Sacramentum, & conferendi gratiam, præscindendo tamen ab intentione absoluta & conditionata. Patet ex eo, quod Intentio Ministri semper sit conditionata & alligata conditionibus necessariis seu existentibus: ergo sicut hæc potest significari per verba Sacramentalia, ita etiam poterit, si sit alligata conditioni extraneae.

708. Negabis paritatem, & disparitatem dabis ex communi modo loquendi hominum, qui conditiones inexistentes non solent exprimere, sed bene conditiones extraneas: quare verba Sacramentalia significabunt intentionem alligatam conditionibus inexistentibus, non item conditionibus extraneis.

Sed virgetur. Quia innumeris instantiis ostendi potest, quod homines etiam in communi modo loquendi non solent exprimere conditiones etiam extraneas, & nemo eos arguit falsitatis aut fallaciae, propterea, quod verbis non exprimentibus conditionem sint vti: Exemplum dedi suprà de Matrimonio sub tacita conditione

contracto, nunc alia addo: v. g. aliquis sperat, se hodie accepturum pecunias, & hac spe nixus promittit creditori solutionem debiti, & tamen non vult solvere nisi sub conditione (quamvis absolute posset alijs modis solvere) si acceperit pecunias: quam conditionem non exprimit: item opifex promittit alicui absolute quidem quoad verba, sed animo conditionato, se hodie absoluturum opus constitutum, nempe sub hac conditione tacita: nisi superveniat alius labor valde necessarius, quem si prævideret, non promitteret, quamvis absolute posset opus promissum præ illo expedire. Nemo tales arguit fallacitatis aut fallaciae, sicut in sententia contraria argui possent, si verba significarent intentionem absolutam; quia essent adhuc falsa, etiam si conditio verificaretur, & solutio ex acceptis pecunijs fieret, & opus præstaretur: quod sanè est contra omnium sensum. Alia exempla plura occurrunt in Jure: vnum sufficiat. Quando quis fecit largam donationem alicui extraneo, nullà expressâ conditione, nihilominus censetur intentio donandi fuisse conditionata: nisi præter spem liberos acquisivero. Idem esset, si nesciret se habere liberos, & præter spem apparerent liberi. Talis inquam donatio est revocabilis ob nullitatem ex defectu conditionis quae præsumitur fuisse subintellecta, & tamen est conditio extranea, quia absolute posset valere etiam tunc donatio. Nam si talis donatio facta fuisset Ecclesiae, valeret, ex communiore DD. quia tunc non præsumitur intentio fuisse conditionata, utpote remuneratoria & Deo facta, quamvis hoc ipsum aliqui negent, fundati in auctoritate S. Augustini, laudantis Episcopum Carchaginensem, quod cuidam, qui cum liberos non haberet, omnia sua donaverat Ecclesiae, retento sibi usufructu, deinde natis illi liberis reddiderit ei Episcopus, & ait S. P. [In potestate habuerat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.] c. fin. ca. 17. q. 4. Ecce! quod etiam verba absolute prolata possint habere sensum conditionatum conditione extraneâ.

709. Veniamus nunc ad authoritatem Scripturæ, & videamus hujusmodi locutiones ipsius Dei, quae spectatis verbis erant absolute, & tamen fatendum est, fuisse prolata ex intentione conditionata, & ideo non fuisse falsas: unde sequitur, quod veritas propositionis non exprimentis conditionem in animo latentem, possit stare cum intentione conditionata conditione extraneâ. Primum exemplum est in prophetia Jonæ, quod Ninive post 40. dies subvertetur, & tamen propter Ninivitarum poenitentiam non fuit subversa post 40. dies, sed multò post. Secundum exemplum est Isaia 38. vbi Regi Ezechiae dicitur: Dispone domui tuae, quia morieris tu & non vives: & tamen postea propter ejusdem regis preces fuit vita prolongata: ergo latebat hæc conditio: nisi me roges &c. Tertium exemplum habetur 2. Reg. 24. vbi Gad propheta dixit ex ore Dei, futuram pestem per tres dies, & tamen

deinde

deinde placato Deo non duravit tribus diebus. Quartum exemplum est Matth. 8. ubi Christus centurioni dixit: *Ego veniam & curabo eum.* & tamen propter fidem Centurionis non venit, sed absens sanavit. latebat ergo conditio: si Centurio non deprecabatur. Quintum exemplum est Gen. 20. ubi Deus dicit Regi Abimelech. *Morieris propter mulierem quam tulisti:* subintellecta est conditio: nisi te excules, & habeas voluntatem restituendi. Sextum exemplum esse posset, quando Christus jungens se discipulis euntibus in Emaus, simulavit se longius ire: quæ fictio siue fuerit verbalis siue realis, fuit conditionata, nisi rogaretur, ut maneret. Sic nemo dixerit eum mentiri, qui amico dicit: *Vale: eo domum:* si deinde rogatus ab amico maneat ibi.

710. Dicendum ergo est, hujusmodi propositiones esse æquivocas, & duplicem sensum habere posse, vnum quidem frequentiore, alterum minus frequentem: sicut vox *Animal*, in usu philosophorum significat genus ad rationale & irrationale, vulgò autem significat idem quod *brutum*: sic ergo propositiones absolutæ communiter quidem significant in specie Intentionem absolutam, præsertim in contractibus reciprocis, ubi, si lateret conditio, non servaretur æqualitas, & alter damnificaretur, unde fit, quòd Contractantes teneantur habere intentionem absolutam, & ideo meritò præsumuntur ab altera parte habere intentionem absolutam, quia fraus non præsumitur. Aliquando tamen habent illæ propositiones sensum abstrahentem ab intentione conditionata & absoluta, & ideo ad illas verificandas sufficit intentio conditionata, etiam si verbis conditio non exprimitur.

711. Possunt ergo formæ Sacramentorum habere verum sensum, etiam si procedant ab intentione conditionata; quamvis fatendum sit, quòd Minister adjiciens hujusmodi conditionem in animo, & foris occultans, per se & regulariter loquendo peccaret, quia sine causa legitima induceret incertitudinem majorem valoris Sacramenti.

Dixi: *per se & regulariter loquendo* peccaturum Ministrum. Posset enim contingere casus, in quo eam licitè adjiceret, imò ex charitate teneretur sub tali conditione conferre Sacramentum. Casus est iste. Ponamus adultum aliquem Judæum petisse baptismum, dilatum tamen esse, quòd ob varia peccata mortalia, v. g. ob usuram diu practicatam, & ob difficultatem restituendi bona injustè acquisita, non videretur dispositus ad fructum baptismi consequendum, sc. Justificationem: talem deinde incidere in amentiam, & fieri proximum morti inevitabili: dico, talem esse baptizandum sub hac conditione: si sit dispositus per poenitentiam sufficientem ad Justificationem: hæc autem est conditio extranea, quia etiam sine ea valeret baptismus. Est, inquam, sub hac conditione & non absolute baptizandus. Ratio est, quia homini non disposito, non est

conferendus baptismus, & si evidenter constet, quòd in amentiam incidisset constitutus in peccato mortali, ob reverentiam Sacramenti non esset baptizandus, ut tradit ex communibus Testimoniis Tannerus. Ergo si dubium esset, an esset dispositus de suis peccatis, non deberet absolvi, sed sub conditione baptizari. Non quidem absolute, Ne fortè Sacramentum conferatur indigno. Sub conditione tamen: quia ex Charitate debet haberi Medium salutis necessarium, quòd non proderit, & quòd non potest differt. Ex hoc colligitur, si alia deciderent, mihi sufficeret, ut loquerer P. Esparza abstinere. Aliud argumentum potest ex ijs, quæ dicam in Tractatu de Eucharistia, de modo quo Neomyta debent velle contrahere cum Episcopo ordinante.

712. DICO 2. Nullum Sacramentum, excepto Matrimonio, potest valide conferri in conditione de futuro contingente. Dixi: *excepto Matrimonio.* ita enim multorum sententia incipit, de qua non est hic locus disputandi. Dicitur Conclufio. Vel enim Minister intendit illum suspendere effectum Sacramenti, non tamen valorem, vel etiam incendit suspendere valorem Sacramenti, vsque ad adventum conditionis. Neutrum dici potest. Non primum. Quia nimirum Sacramentum est ritè confectum, & valde est obex in suscipiente, causat infallibiliter gratiam, ex institutione & voluntate Dei. Ergo si Minister noller aliter valere Sacramentum, non possit suspendere effectum, nihil ageret: si tamen primariâ intentione vellet facere Sacramentum, conferret Gratiâ, etiam si secundariâ intentione noller conferre Gratiâ, eò quòd per errorem putaret se posse Sacramentum ab effectu levari, prout infra magis declarabitur, quando agemus de Intentionibus contrarijs. Sed neque secundum dici potest. Nam omnium Sacramentorum formæ, prout à Christo sunt instituta, significant nimum & intentionem conferendi Sacramentum nunc de præfenti, dum pronuntiantur forma & ergo si adderentur hæc verba: *Ego te baptizo in crastinum:* significatio verborum mutaretur. In Matrimonio autem potest illa forma adhiberi, quæ in alijs contractibus, & sicut possum dicere: *Ego dono tibi librum in crastinum:* ita possum dicere: *Ego te duco in crastinum.*

713. Dices. Ex hoc sequeretur, quòd non mutaretur forma Sacramentorum, quando adhibetur conditio, nam illa verba adjecta essent pars formæ, & tamen Christus non instituit formam talem. R. Negando sequelam, & negando, quòd illa conditionalis Adjecta esset pars formæ, sicut non est pars formæ, quando ex Pœnitentiæ sacramento adjicitur in forma baptismi, quando baptizatur aliquis, de quo dubitatur, an fuerit prout validè baptizatus. Ratio patet ex dictis. Non forma à Christo instituta adæquare sunt illa verba, quæ significant intentionem Ministri, præscindendo an sit intentio absoluta, an conditionata. Quare sicut conditiones tam incutientes

quàm extraneæ, sunt quidem vltimum complementum Intentionis Ministri, in esse intentionis absolute, non tamen ideo sunt pars formæ, ita neque verba illas condiciones exprimentia, sunt pars formæ, licet significant partem intentionis.

Dici etiam posset, illa verba, quando expresse adjiciuntur, esse quidem partem formæ, sed partem integram, non necessariam, sicut in absolutione Sacramentali secundum multos, illa verba: *a peccatis tuis*, sunt pars formæ integralis, sed non necessaria. Porro existentiam conditionis non debere per formam affirmari, patet: nam ne quidem condiciones inexistentes affirmantur adesse, alioquin Minister mentiretur, quia affirmaret se scire adesse illas, cum tamen nesciat adesse.

CONTROVERSIA IV.

Quenam ex Intentionibus contrariis censenda sit sortiri effectum.

714. Notandum 1. Intentiones dupliciter posse contrarias inter se esse, vel explicitè vel implicitè. Explicitè certum est non posse simul & pro eodem instanti stare intentiones contrarias, quia hoc aliud non esset, quàm simul & semel idem secundum idem expresse efficaciter velle & nolle, quod est tam impossibile, quàm idem simul expresse affirmare & negare. Implicitè dicuntur intentiones tunc esse contrariæ, quando quis per errorem existimans duo prædicata esse separabilia, vult obtinere vnum, & alterum non vult, sed potius vult negationem illius.

Notandum 2. Errorem circa illa prædicata posse iterum dupliciter se habere: aliquando enim potest quis per errorem judicare, illa prædicata esse inconiungibilia, quæ tamen defacto semper & necessariò coniunguntur: aliquando potest quis per errorem judicare, esse quidem illa prædicata coniungibilia, posse tamen ex intentione Ministri aut celebrantis contractum ab invicem separari. Exempla prioris sunt hæc. Hæreticus iudicans consecrationem Eucharistiæ nec esse, nec posse esse sacrificium, vult consecrare Eucharistiæ, sed non vult facere sacrificium, eò quod putet hoc sibi esse impossibile: item vult conferre Baptismum, non tamen conferre Gratiam aut Characterem, quia putat hæc non posse conferri, & Romanam Ecclesiam errare, existimando posse conferri. Exempla posterioris esse possunt primò. Aliquis per errorem putat posse conferri absolutionem de præsentì, & suspendi ejus effectum, sc. gratiam, vult absolvere de præsentì, non verò conferre gratiam: item, existimans posse contra actum Matrimonij inter Christianos fieri sine Sacramento, vult facere Contractum, sed non vult facere Sacramentum. Item Abissi-

nus Schismaticus existimans Matrimonium posse in certis casibus dissolvi, vult contrahere Matrimonium etiam ut Sacramentum, sed dissolubile.

Notandum 3. Contrarias intentiones aliquando existere simul in tempore, ut in allatis exemplis, aliquando successivè, & pro tempore diverso, v. g. Petrus habet hodie intentionem offerendi crastinum Sacrum pro Paulo, verum cras immemor hujus intentionis offert pro Joanne, quæritur, quis horum duorum consequatur fructum sacrificij.

715. In præsentì nihil agimus de his intentionibus successivis & contrariis, quia in Sacramentorum administratione semper obtinet effectum secunda intentio, quæ tunc est quando actu administratur Sacramentum, hæc enim est à qua denominantur actiones fieri nomine Christi, non obstante voluntate contrarià præcedente. Itaque hujusmodi intentiones successivè contrariæ specialem difficultatem habent in alijs dispositionibus, præsertim in Testamentis, quam tractabo in opere de Justitia.

716. Dicendum nunc est, & pro Regula statuendum. Illa intentio ex contrariis implicitis prævalet, quæ appetitivè major est, hoc est, quæ magis vult objectum suum, illudque simpliciter & absolute alteri præfert. Vel sic. Illa intentio prævalet, quæ respectu alterius est absoluta, e contra altera respectu hujus est solum conditionata. Declaratur Regula in exemplis supra positis. Hæreticus vult baptizare, sed non vult conferre gratiam, eò quod putet hunc effectum non causari per Baptismum: si ergo Minister ille ita constitutus sit, ut si sciret, ad hunc effectum causandum esse institutum Baptismum, adhuc baptizaret, intentio Baptismi prævalet intentioni non conferendi Gratiam, quia appetitivè magis vult suum objectum, vultque illud absolute; Nolito verò conferendi gratiam vult suum objectum vel potius illud non vult tantum sub conditione, si baptismus non est ad gratiam conferendam institutus, quæ conditio deficit: & ita quidem de hæreticis præsumit Ecclesia.

Item, aliquis existimans, posse à contractu Matrimonij inter Christianos separari rationem Sacramenti, vult facere Contractum Matrimonij, sed non Sacramentum: ut talis deprehendat, vtrum primaria intentio fuerit sufficiens ad faciendum Matrimonium vnà cum Sacramento, vel an potius habuerit intentionem alligatam conditioni impossibili, debet se reflectere, an voluerit Contractum Matrimonij absolute, Sacramentum autem voluerit excludere conditionatè, si possit separari, & tunc valebit Matrimonium, & erit simul Sacramentum, quia malebat habere Matrimonium cum Sacramento, quàm vtroque carere. Si verò se contrario modo haberet, Matrimonium judicandum esset nullum,

CAPVT V.

DE SVSCIPIENTE SACRAMENTVM.

CONTROVERSIA I.

An, & quomodo Dispositio Suscipientis sit Mensura Gratiae Sacramentalis.

717. **D**icendum 1. Aequaliter dispositis non nisi aequalis confertur Gratia Sacramentalis, per idem specie Sacramentum. Ita communis contra Paludanum, Scotum, Gabrielem, Cajetanum, existimantes, vel ex voluntate Dei, vel propter merita parentum aut Ministrum, aut circumstantiarum, aliquando conferri inaequalem Gratiam. Probatur Conclusio. Sacramenta non causant Gratiam, nisi quam significant: atqui respectu aequaliter dispositorum, non significant, nisi aequalem gratiam: ergo.

Confirmatur. Virtus Sacramentorum provenit ex solis meritis Christi, qui solus in sua potestate habuit instituere Sacramenta, & illis sua merita applicare: ergo sicut medicina, quae virtutem suam habet ab auctore Naturae, non est magis aut minus efficax ad causandam sanitatem ex eo, quod adhibita sit à Medico magis aut minus sano, ita Sacramentum non potest esse magis aut minus efficax ad sanctificandum, ex eo, quod Minister sit magis aut minus sanctus.

718. Dicendum 2. Inaequaliter dispositis, v. g. per maiorem devotionem, confertur etiam ex opere operato inaequalis gratia per Sacramentum ejusdem speciei. Probatur 1. Auctoritate D. Damasceni lib. 4. c. 20. [Quamvis, inquit, peccatorum remissio omnibus aequè per Baptismum detur, Spiritus tamen gratia pro fidei ac praecedentis purgationis modulo ac ratione comparatur.] Concilium Trid. sess. 6. c. 7. cum dixisset, Baptismum esse causam instrumentalem nostrae justificationis, id quasi explicando addit. [Justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.]

Ratio Conclusionis desumitur à congruentia & paritate. Congruum erat, à Christo sic institui Sacramenta, ut homines allicerentur ad se diligentius disponendos & preparandos: atqui si melius dispositi plus Gratiae accipiant, utique allciuntur ad se melius disponendos: ergo &c.

Deinde congruentia redditur à paritate causarum physicarum agentium in passum magis minusve dispositum: tunc enim quo passum est me-

lius dispositum v. g. magis diaphanum, succum de eo majorem intensionem effectus accipit à causa, v. g. plus lucis, caloris, impulsus &c. Cum ergo Sacramenta habeant suam virtutem ex meritis Christi, quae sunt valoris infiniti, & Gratia possit augeri in infinitum, si suscipiens sit melius dispositus, congruum est, ut etiam plus gratiae accipiat.

719. Obicies 1. Sacramenta non significant plus gratiae in eo qui est melius dispositus, quam in eo qui est minus dispositus: ergo nec plus gratiae causant. 2. Negando antecedens. Sacramenta enim significant ut causa, & quidem ut causa habens virtutem aliquo modo determinatam: atqui causa significat effectum determinatum inaequalem pro inaequalitate & diversitate dispositionis, ut patet. Praeterea, Sacramenta significant effectum suum Symbolicè v. g. Eucharistia per modum cibi, Baptismus per modum ablutionis: atqui melius dispositus melius nutritur, & melius abluatur: ergo sub tali conditione significat Sacramentum inaequalitatem effectus à se conferendi.

720. Obic. 2. Ex nostra Conclusionis fundamento sequi videtur, quod ille qui aliter est habitualiter sanctior, hoc est, habet plures gradus Gratiae sanctificantis, etiam si ceterae omnes dispositiones essent pares, etiam plus gratiae acciperet, quia majus augmentum Gratiae videtur esse melior dispositio: consequens autem non repugnat assertum à Theologis.

Responderi potest 1. Concedendo sequelam. cum Suarez d. 7. l. 5. in fine. Conim. q. 1. dub. 3. maxime à n. 51. Dicaltillo d. 1. dub. 1. à n. 71. Nec refert alios DD. hoc non ita expressè tradidisse, satis est quod non negaverint, & si tradiderint, satis est quod non negaverint. Respondendum affirmandi dederint. Respondendum 2. Negando sequelam & paritatem. Non potest 2. Negando sequelam & paritatem. Non imprimis major sanctitas videtur solum dispositionis, quatenus magis latere titulo Dignificationis, quatenus magis latere est dignus majori premio, ut traditur in materia de Gratia: disponit ergo gratia tanquam forma dignificans ad premium: atqui fructus Sacramentorum non est premium accipientis Sacramentorum, & Sacramenta dignificantur adaequatione meritis Christi. Doctores ergo videntur in praemissa questione loqui de dispositione non dignificante, sed quasi preparante subiectum. videtur

videntur adhuc magis restringere ad illas solum dispositiones, quæ sunt specialiter proportionatæ ipsi Sacramento recipiendo, & ut habenti specialem efficaciam ad auxilia talis rationis, v.g. quia Baptismus est Sacramentum Fidei, ideo ferventior Fides præcedens Baptismum, & ferventius propositum servandi legem Christi, disponet ad maiorem gratiam Sacramentalem in baptismo consequendam: item quia Eucharistia est Sacramentum spiritualiter Nutritivum animæ, ideo ferventior Charitas præcedens, & desiderium perfectionis disponet ad maiorem gratiam Eucharisticam, item quia Sacramentum Pœnitentiæ ordinatur ad auxilia specialia vitandi diligentius peccata &c. ideo maior peccati detestatio & abominatio, disponet ad maiorem gratiam &c. & sic de cæteris.

721. Obijcies 3. Majora peccata præcedentia non inducunt inæqualitatem Gratiæ consequendæ per Sacramenta: ergo nec melior dispositio. Respondet P. Esparza, negando paritatem: quia licet peccata plura aut majora difficiliorem reddant demeritori remissionem peccatorum, & reditum gratiæ, in ratione tamen dispositionis nihil variant, quia quodvis peccatum Lethale removeret à Deo totaliter, destruit quancunque intensionem Gratiæ, & reddit indispositum etiam ad minimum gradum gratiæ absque discrimine: unde difficilius quidem majori peccatori, sed non minor Gratiæ confertur cæteris paribus, undecunque Gratiæ proveniat. At verò dispositio bona potest esse major & minor, & ad maiorem ac minorem Gratiam, quia non quivis accessus ad Deum conjungit cum Deo totaliter, nec totam & omnem Gratiam inducit. Hæc P. Esparza, innuens tacite doctrinam quam tradit de Incarnatione, circa quæstionem, an pura creatura possit condignè satisfacere pro peccato mortali, ubi negat cum DD. Salmanticensibus, posse opus bonum puræ Creaturæ adæquare bonitate malitiam peccati mortalis: de qua quæstione egi Superiore Tract. Nunc abstrahendo ab illa doctrina, quæ mihi difficilis est, ut ibidem ostendi.

Respondetur ad objectionem, negando paritatem. Pluralitas enim peccatorum mortalium resistit quidem magis Misericordiæ divinæ, quò minus tam facile conferat auxilia & media justificativa effectivè, ac conferret per se loquendo, si non adesset illa peccatorum pluralitas, quæ reddit hominem Deo magis exosum & detestabilem; nihilominus tamen, si non obstante illa pluralitate peccatorum, Deus misericorditer indulget huiusmodi media, hoc ipso jam est superata illa resistentia peccatorum, & causa justificativa est expedita ad operandum secundum totam virtutem & dispositionem subiecti, perinde ac si illa resistentia nunquam præcessisset. Ratio vltior est, quia Deus in justificatione peccatoris, obliviscitur practicè omnium peccatorum præcedentium, sive multa sive pauca ea fuerint, neque eorum destructio suscipit magis & minus. Econtra verò bona præparatio & dispositio non solum

movet Deum ad libentius conferenda Media justificativa, sed etiam augent suo modo capacitatem subiecti, & melius applicant virtutem causæ ad plus operandum, propter rationes in Conclusionem allatas.

722. Obijcies 4. Ex hoc sequi videtur, quòd in aliquo casu contingere posset, ut Sacramentum minoris dignitatis conferret plus Gratiæ, vel saltem tantum, quantum producit Sacramentum dignius; consequens est inconveniens, quia à Sacramento digniore plus gratiæ confertur. R. Concedendo sequelam, & negando id esse inconveniens. Nam quod dicitur communiter, Sacramentum dignius conferre plus gratiæ, procedit, quando cætera sunt paria.

CONTROVERSIA II.

An, & quomodo Sacramentum cum Obice receptum reviviscat.

723. Quando Sacramentum aliquod validum quidem, sed sine fructu recipitur, dicitur Sacramentum *fictè* susceptum: Non accipitur autem *fictio* hoc loco pro simulata intentione suscipiendi Sacramentum: nam quando deest in adulto intentio, Sacramentum nullum est ab initio, nec tractu temporis potest convalescere. Per fictionem ergo intelligitur Obex, seu impedimentum ex parte suscipientis Sacramentum, quominus consequatur suum primum effectum, hoc est, Gratiam: & hoc quidem impedimentum quandoque ponitur sine culpa, v.g. si quis invincibiliter ignorans se peccasse mortaliter, non eliceret dolorem ante baptismi receptionem. Quæritur ergo, an Sacramento cum tali obice suscepto, si postea obex removeatur, peccatum remittatur, & gratia infundatur ex opere operato, & vigore suscepti Sacramenti. Solet autem specialiter disputari de Baptismo.

724. Prima sententia negat huiusmodi reviviscentiam. Tribuitur Medinæ, & Joanni Andree. Rejicitur tamen à cæteris Theologis, & quidem maxime ob auctoritatem S. Augustini, qui agens contra Donatistas, volentes baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, statuit, baptismum in hæresi aut schismate susceptum, tunc incipere prodesse ad remissionem peccatorum, atque operari salutem, quando fictè baptizatus postea corrigitur. Ob hanc inquam auctoritatem nemo Theologorum in dubium vocat reviviscentiam, sed eam diversimodè declarant & intelligunt. Itaque

725. Secunda sententia est, Baptismum fictè susceptum, recedente fictione non remittere ex opere operato culpam ipsam, nec conferre gratiam, sed ad hos effectus opus esse vel Sacramento Pœnitentiæ, vel Contritione; Baptismum verò tantum remittere totam pœnam temporalem, & hoc sensu reviviscere. Ita Scotus, Gabriel & Vasquez.

FFF 2

Quia

Quia verò Vasquez advertit, hac explicatione vim fieri verbis S. Augustini, ideo ex mente Scoti addit, Baptismum susceptum valere etiam postea aliquo modo ad salutem & remissionem culpæ, hac ratione. Sive enim homo postea justificetur per Sacramentum penitentiae cum attritione, sive per contritionem perfectam extra Sacramentum, in utroque casu conducit baptismus præteritus. Si enim justificetur homo per Sacramentum Penitentiae, confitendo peccata post Baptismum commissa, jam conducit Baptismus ad illam Gratiā, quam homo consequitur per Sacramentum Penitentiae, quia ratione & beneficio baptismi suscepti est capax Sacramenti Penitentiae, cujus ceteroquin capax non esset: Si verò justificetur per contritionem, conducit Baptismus ideo, quia facit ut Contritio, etiam non includens baptismum in voto, seu votum baptismi suscipiendi, possit justificare, cum alioquin si Baptismus non præcessisset, non posset Contritio justificare, nisi ut continens baptismum in voto, quatenus scilicet Contritio est voluntas servandi omnia præcepta, & consequenter etiam recipiendi baptismum: quando autem jam satisfactum est huic præcepto, non potest amplius Contritio esse votum illius, ut patet.

726. DICO 1. Baptismi Reviviscentia non explicatur rectè, & ad mentem S. Augustini per hoc, quod reddat capax Sacramenti Penitentiae, & faciat, ut Contritio possit justificare sine voto baptismi. Probatur. Nam hac ratione non plùs, nec æstimabiliùs conduceret baptismus mediante contritione, quam cum eadem contritione conduceret negatio baptismi: consequens est absurdum, & alienum à mente S. Augustini, ergo &c. Sequela probatur. Nam hoc quod est Contritionem continere votum Baptismi, si loquamur de voto conditionato, est essentiale contritioni: est enim Contritio essentialiter desiderium seu votum servandi omnia præcepta, adeoque etiam baptismum suscipiendi, casu quo necdum susceptus sit: ergo in hoc sensu nunquam justificat Contritio sine voto baptismi, etiam si baptismus præcesserit, essentia enim rei semper est eadem. Si verò loquamur de Contritione, ut est votum absolutum baptismi, hac inquam denominatione provenit extrinsecè à negatione baptismi præteriti, ut fatetur Vasquez: ergo in tali casu non magis conduceret baptismus, quam negatio baptismi. Probatur consequentia. Sicut enim baptismus præcedens facit ut Contritio justificet sine voto absoluto baptismi, quia hanc denominationem aufert à Contritione, ita negatio baptismi facit, ut Contritio justificet cum voto absoluto, quia hanc denominationem tribuit Contritioni: atqui vnus justificandi modus non est melior altero: ergo vera est sequela primi argumenti facti, quæ erat probanda.

727. DICO 2. Baptismus, remoto obice ita reviviscit, ut virtute illius immediatè remittatur culpa, & producat Gratia, sicut produca-

fuisse, si tempore baptismi obex remotus fuisset. Ita S. Th. q. 69. a. 10. & hac est mens S. Augustini. Probatur 1. ex illo celebri textu Scripturæ. *Qui renatus fuerit ex baptismo, non erit saluum: hunc locum omnes intelligunt de baptismo in re vel voto; nam aliquos salvari possunt absque baptismo in re suscepto, & eorum infantibus salvari sine voto baptismi, certum est: non tamen sine utroque. Atqui in sententia contraria salvaretur aliquis, qui nec esset renatus ex baptismo in re (quia re ipsa non justificaretur virtute baptismi) nec in voto, quia continens post baptismum non est amplius votum baptismi: ergo talis salvaretur absque eo, quod vili modo esset renatus ex baptismo.*

Probatur Conclusio 2. Ratione, quæ etiam procedit de Sacramento Confirmationis & Ordinis. Character est forma physica, intrinsece stabiliter ordinans hominem ad suam illam, non est, ad illas functiones exercendas, ad quas per Sacramentum imprimens characterem, homo deputatus, ut supra de Characterè dictum est: ergo recedente obice datur gratia Sacramentis intuitu Sacramenti præcedentis. Probatur consequentia. Illa auxilia specialiter conducunt ad tales functiones ex natura rei supponunt gratiam cui debeantur: sed non est cogitandum, quod Deus hunc ordinem invertat: ergo Deus hoc ipso quod per characterem ita ordinat subiectum ad tales functiones, hoc ipso inquam renovo gratia Sacramentalis obstaculo, dabitur homini Sacramenti ille gradus gratiæ, cui specialiter illa auxilia debeantur propterea, quod illa gratia ex tali Sacramento obtenta sit.

728. Card. de Lugo explicat Reviviscentiam exemplo non incognito Jubilæi. Nam Pontifex solet quandoque in Jubilæo concedere, ut quisvis absolvi possit à quovis reservato peccato, & vota commutari: in quo casu ex commutatione sententia, si quis tempore Jubilæi quod commutatum lucrari, oblitus esset confiteri peccatum reservatum, aut voti commutationem non potuisset fieri, potest adhuc elapso tempore Jubilæi obtemperare in virtute elapsi Jubilæi absolutionem à reservato, & commutationem voti, quia per Jubilæum acquirit Jus ad eas Gratias consequendas. Similem indulgentiam videtur Christus Sacramentum Baptismi contulisse, ut ejus virtute plenissima remissio fieret semel in vita omnium debitorum pœnæ & culpæ, vsque ad tempus Baptismi contractæ: ad quam remissionem acquiritur Jus per Baptismum, ita ut si tempore baptismi non obtemperat ob impedimentum, possit postea contempnato ablati impedimento.

729. Objicitur 1. Ponamus hominem cum fictione baptizatum, peccare post baptismum mortaliter, deinde hoc peccatum confiteri, ac per Sacramentum Penitentiae ab illo absolvi, & sic per modum justificari: In hoc casu si baptismus revivisceret, tunc omnia peccata, tam quæ ante, quam quæ post baptismum commissa sunt, remitterentur duplici

duplici titulo, nimirum directe & indirecte, sive, ut loquitur Vasquez, remitterentur per se & per accidens seu concomitantem. Nam peccata ante baptismum commissa remitterentur directe per baptismum, & quia non potest unum mortale remitti sine altero, ideo etiam per baptismum remitterentur indirecte seu per accidens & concomitantem peccata post baptismum commissa. E-converso, peccata post baptismum commissa remitterentur directe per Sacramentum Pœnitentiæ, cetera verò præcedentia baptismum, remitterentur per idem Sacramentum Pœnitentiæ indirecte: ergo omnia & singula peccata remitterentur tunc tam directe quàm indirecte, quod videtur inconvenienter dici.

730. Respondent DD. communiter & sufficienter, admittendo sequelam: In illo enim casu Deus intuitu diversi Sacramenti conferret diversas gratias; & quia non vult unum mortale sine alio remittere, ideo per quodlibet Sacramentum remitteret, directe illa, ad quæ delenda Sacramentum est institutum, cetera verò dimitteret indirecte.

731. Verum expeditius responderi potest, distinguendo sequelam: remitterentur indirecte formaliter & realiter loquendo, negatur sequela, radicaliter seu virtualiter, conceditur sequela. Explico. Indirecte formaliter & realiter dicitur remitti peccatum, quando pure pure remittitur per concomitantiam, nullâ penitus concurrente causâ directe illius remissivâ. hoc modo remittitur indirecte per Sacramentum Pœnitentiæ peccatum quod quis inculpabiliter in confessione omittit, ut traditur suo loco. hoc autem in nostro casu non contingit, ut patet. Indirecte radicaliter seu virtualiter remittitur, v. g. peccatum post baptismum commissum, quando virtute baptismi præteriti conferatur gratia, quæ ex se est incompossibilis cum omni peccato mortali, adeoque est talis, ut si hic & nunc non concurreret Sacramentum Pœnitentiæ, directe illa remittens, vi illius gratiæ etiam illa peccata indirecte formaliter remitterentur, quæ deberent per Sacramentum Pœnitentiæ directe remitti.

732. Urget tamen Vasquez n. 22. In casu posito Sacramentum Pœnitentiæ operaretur suum effectum prius naturâ quàm baptismus: ergo baptismus pro posteriori naturâ jam inveniret remissa indirecte peccata ante baptismum commissa per ipsum Sacramentum pœnitentiæ: ergo gratis dicuntur denuo & pro posteriori naturâ directe remitti per baptismum. Antecedens probat Vasquez, supponendo sententiam, quam etiam infra tanquam veriore[m] amplectar, nimirum, quod quando quis post baptismum fictè susceptum committit peccatum mortale, quod, inquam, tunc non removeatur sufficienter obex ad effectum baptismi consequendum per solam attritionem, sed vel per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per Contritionem perfectam. ergo prius iustificabitur homo & accipiet Gratiâ per Sacramentum Pœnitentiæ, quàm accipiat Gratiâ baptismi,

733. Responderi posset primò, negando secundam consequentiam primi argumenti. Nam etiam si daretur, virtute Sacramenti Pœnitentiæ remitti pro priori naturâ indirecte peccata ante baptismum commissa, non propterea gratis dicerentur in posteriori remitti directe virtute baptismi: sicut quando quis confitetur aliqua peccata, & aliqua ex oblivione non confitetur, absolvitur ab his indirecte, & tamen sunt postea iterum directe subijcienda clavibus, ut dicitur suo loco.

734. Respondetur tamen melius 2. Negando antecedens, ad probationem concedo antecedens, nego consequentiam. Nam contrarium potius inferendum est, nempe ex eo, quod per Sacramentum Pœnitentiæ auferatur formaliter obex baptismi, in priori signo naturæ, hoc ipso utrumque Sacramentum simul in posteriori signo Naturæ operari gratiam & remissionem peccatorum. Ratio est, quia quando duæ causæ sunt in eodem signo expeditæ, tunc earum effectus sunt in posteriore signo simultanei: atque baptismus sit expeditus per remotionem obicis, & Sacramentum Pœnitentiæ est illa remotio: deinde Sacramentum Pœnitentiæ est etiam tunc expeditum; ergo utriusque Sacramenti effectus sunt simultanei. Declaratur magis exemplo philosophico. In sententia asserente, Relationem prædicamentalem esse modum, positio termini est ultima conditio, quâ posita resultat ille modus relationis, non tantum in termino ipso, sed etiam in fundamento, & non resultat prius in termino quàm in fundamento, sed in utroque simul, similitate Naturæ. Pari modo Sacramentum Pœnitentiæ per seipsum formaliter auferit obicem baptismi, adeoque est conditio pro priori Naturæ existens, ut possit operari baptismus in posteriori signo, in quo eodem signo operatur etiam Sacramentum pœnitentiæ: nam utique existit causâ in priori signo, & effectus in posteriori. Ergo hoc ipso quod formalis remotio obicis baptismi sit ipsa formalis existentia Sacramenti Pœnitentiæ, & remotio obicis sit ultima conditio ut baptismus operetur, hoc ipso effectus baptismi & pœnitentiæ sunt simul in eodem posteriore signo, quia utrumque Sacramentum intelligitur in priore signo expeditum ad operandum.

735. Instat tamen iterum Vasquez n. 26. Quidquid sit in casu, quo cum reviviscencia baptismi concurrat Sacramentum Pœnitentiæ, si tamen concurrat cum baptismo Contritio perfecta, & per hanc formaliter tollatur obex baptismi, tunc si baptismus directe deleat peccata ante baptismum commissa, sequeretur eadem peccata directe deleat à duplici causâ adæquata, nimirum à Baptismo, & à Contritione. Sequela probatur. Nam contritio æqualiter pugnat cum omnibus peccatis mortalibus, & omnia quæ invenit, directe expellit. 2. Concedendo sequelam, quæ omnibus est concedenda in casu quo quis in eodem instanti quo absolvitur baptismus, aut Sacramentum pœnitentiæ, eliceret contritionem perfectam.

FFFF 3

CON-

CONTROVERSIA III.

Vtrum per Reviviscenciam Baptismi possint indirectè remitti peccata post Baptismum commissà, sine concursu causæ directè remissivæ.

736. **M**ajor controversia est de casu, quo quis fidè baptizatus, antequam removeret obicem, commisit peccata mortalia, an, inquam, talis per solam attritionem, sine Sacramento Pœnitentiæ, sufficienter removeat obicem baptismi, ita ut consequatur gratiam & fructum baptismi.

Prima sententia affirmat esse probabile, quòd sufficiat attritio. Ita Paludanus, Sylvester, Suarez, Dicastillo.

Secunda negat sufficere, ac proinde ad obicis remotionem requirit, ut ponatur causa directè remissiva peccatorum post baptismum commissorum, nempe vel Sacramentum Pœnitentiæ, vel perfecta contritio.

737. **DICO**, hanc sententiam secundam esse multò probabiliorē, quidquid sit de probabilitate primæ. Suarez & Lugo probant Conclusionem hoc modo. Peccatum post baptismum commissum est subiectum clavibus: ergo remitti non potest nisi vel per absolutionem Sacramentalem, vel per votum illius inclusum in contritione perfecta. Ad hoc tamen responderent adversarij, attritionem etiam esse votum baptismi, quia est voluntas servandi omnia præcepta; & quia Sacramentum Pœnitentiæ est sub præcepto, quando commissum est peccatum post baptismum, ideo attritio est etiam illius votum: atqui sententia contraria requirit attritionem ad hoc ut baptismus reviviscat: ergo etiam requirit votum Sacramenti Pœnitentiæ. Quando autem Lugo & Suarez dicunt, non quodcumque votum sufficere, sed votum contentum in perfecta Contritione, imprimis videntur petere principium, assumendo pro probatione, quod est in questione, & quod adversarij negant, & nobis est probandum: deinde etiam supponunt falsum, scilicet, non posse peccatum mortale post baptismum commissum remitti nisi vel per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per perfectam Contritionem: falsum inquam hoc est, quia potest etiam remitti per Sacramentum extremæ Unctionis cum attritione, quia hoc Sacramentum facit ex attrito contritum: ergo non est univèrsim verum, peccatum clavibus subiectum, nunquam remitti nisi vel in Sacramento Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam.

738. Probatur ergo Conclusio meliùs argumento quod insinuat S. Thomas, & eo vititur P. Conink.

Nec baptismus, nec vllum aliud Sacramentum, habet vim remittendi peccata futura post susceptionem talis Sacramenti. Ratio huius superioris indicata est. Nam ideo reviviscit baptis-

mus, aut aliud Sacramentum, quia quando estebat informe, tribuebat jus ad effectum suum bonum consequendum, si removeretur obex: atqui quando baptismus existerat, non tribuebat vllum jus ad remissionem peccatorum futurorum: ergo...

739. Confirmatur 1. Sacramenta sunt quædam actiones ac postulationes Christi: Christus autem non petit per Sacramenta, ut vim illorum remittantur futura: neque aliqua vti dici potest abluui nunc à maculis futuris: abluui enim non minùs quàm absolutio supponit maculam ablucendam jam existerē.

Confirmatur 2. Vtique baptismus reviviscens, se solo non potest plus operari, quàm operatus esset, si dum existerat, nullus obex adfuerat: atqui si tunc nullus obex adfuerat, non remittitur peccata postea committenda: ergo nec reviviscens potest illa remittere, quæ post baptismum commissæ sunt. Major probatur. Quia Reviviscencia est quasi quædam Retrotractio, quæ quandoque fieri solet per leges Civiles in contractibus vel donationibus ab initio quidem inefficacibus, sed qui postea adveniente aliqua circumstantiâ dicuntur fictione juris retrotrahi ad illud tempus, quo sunt celebrati, ut penitus habeant acsi effectum sortiti essent.

Confirmatur 3. Si peccata post baptismum commissæ remitterentur virtute baptismi reviviscens, tunc vnâ deberet remitti omnis pars illis peccatis annexa: hoc autem est falsum, merito supponit hic S. Thomas, & constat inde, quia sunt subiecta Sacramento Pœnitentiæ, in quo potest ac debet adhuc postea penitentia inungi.

740. Obijcies 1. Sacramentum Pœnitentiæ & extrema Unctio, possunt aliquæ peccata directè remittere: ergo hoc non est negandum baptismi. Distinguo antecedens. possum directè remittere peccata commissæ ante susceptionem illorum Sacramentorum, concedo, post commissæ, nego. quare autem illud possum, additur ratio in loco. Baptismus autem non potest indirectè, sed tantum directè remittere peccata ante baptismum commissæ: ergo si aliquæ indirectè remittere posset, illa essent postea commissæ.

741. Obijcit 2. P. Dicastillo n. 125. Comparatione Baptismi non est obex ipsum peccatum, sed defectus attritionis, quæ posita sufficienter tollitur obex, etiam si peccatum sit in subiecto: sed in casu de quo disputamus, ex parte subiecti ponitur quidem peccatum, sed cum attritione illius ergo nullus adest obex: ergo producat gratiam. Quando post baptismum committitur peccatum novum mortale, tunc ponitur novus obex ipsi reviviscenciæ, qui obex non est quidem ipsum peccatum præcisè spectatum, sed peccatum cum negatione causæ per se deletivæ illius, hæcenus probatum est: & sic patet, quomodo distinguenda sit major propositio, quæ...

solum vera est respectu peccati ante baptismum commissi.

CONTROVERSIA IV.

Qualis Intentio requiratur in suscipiente Sacramentum.

Glossa in cap. *Majores de Baptismo* docuit, in adulto sufficere, si suscipiens ore consentiat, etiam si corde dissentiat. Cajetanus verò docuit, sufficere, si corde non dissentiat, etiam si non consentiat positivè.

742. Dicendum est, requiri consensum positivum ad valorem illorum Sacramentorum, non quidem qui tunc actu existat; sed satis est existere Habitualmente, hoc est, aliquando existisse & nunquam fuisse revocatum. Ita S. Thomas q. 68. a. 7. Colligitur imprimis ex Concilio Carthaginensi & Arausicano, quæ solum permittunt conferri Baptismum illis adultis, qui saltem per alios habent testimonium voluntatis suscipiendi, sicut & Rituale Romanum Pauli V.

743. Dices: ex his Concilijs plus non colligi, quam quòd non possint licitè ministrari non petentibus, non tamen quòd non possint validè. Sed contra. Quia si tantum esset sermo de licentia conferendi Sacramentum, & non supponeretur, Sacramentum fore invalidum, non deberent Concilia prohibere, ne Baptismus conferretur illi, qui usu rationis privatus est, nec antea petijt Baptismum: tali enim deberet conferri tanquam medium necessarium ad salutem, ut bene observavit Arriaga.

Ratio seu congruentia sic instituendi Baptismum, insinuat à S. Thoma & Innocentio III. in citato cap. *Majores*, quia per Baptismum subijcitur quis legi novæ irrevocabiler: hanc autem subjectionem nemo debet nisi volens subire, qui voluntatem propriam habet.

744. De Sacramento Confirmationis adducta Ratio non ita clarè procedit: quia in hoc Sacramento non imponitur onus, sed tantum augentur vires ad facilius ferendum onus jam antè susceptum, & ad facilius satisfaciendum obligationi jam antè contractæ.

745. Caterum adhuc congruum erat, ut tantus favor & honor, quo quis deputatur specialiter ad Christi militiam, non conferretur nisi desideranti & consentienti, si aliquando potuit desiderare. Quæ ratio etiam de extrema Unctione suo modo procedit, cujus favores non debent nisi aliquo modo volenti conferri, si potuit aliquo modo velle, dixi: *aliquo modo*, nam valde implicitam & generalem voluntatem Mediorum salutis ad hoc Sacramentum sufficere, receptum est, & in praxi observatur. Denique eadem ratio Sacramento Ordinis applicari potest; nam licet hoc Sacramentum non afferret onus adulto, v. g. obligationem servandi castitatem, si posset invito conferri validè, quia tamen afferret magnum honorem & magnas prerogativas, jam erat congruum, ut non nisi volenti posset conferri validè.

746. Quoad Infantes est alia ratio. Nam licet Baptismus illis affert onus novæ legis, simul tamen etiam tanta commoda affert, ut infanti optabilior sit baptizari, quam non baptizari; & ideo ejus voluntas suppletur ab Ecclesia, ut sic per alienam voluntatem possit à servitute Diaboli liberari, cui per alienam quoque voluntatem subiectus erat. Quoad Sacramentum Confirmationis & Ordinis, quia infanti nullum æstimabile onus, sed potius commodum & honorem afferunt, etiam congruum erat, ut infanti validè (quamvis non licitè) conferri posset, ad quod non erat opus, ut Ecclesia suppleret illius voluntatem, quia dignitas potest etiam non desideranti nec potenti desiderare, conferri; sic potest infans legitimari, nobilitari &c.

747. Objicit Cajetanus 1. ex cap. *Majores*, ubi sic habetur: [Tunc Characterem Sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non invenerit.] Quibus verbis Pontifex plus non requirit, quam absentiam contrariæ voluntatis, &c. Si verba præcedentia legantur, quibus prohibetur, ne alij quam Catechumeni baptizentur ex ijs qui amentes facti sunt, adeoque non nisi illi qui Baptismum prius petierunt, apparet requiri à Pontifice & Concilio consensum positivum.

748. Objicies 2. Ex nostra Conclusionem sequitur, Sacramenta non habere eadem essentialia requisita in parvulis, quæ habent in adultis, & malè dixisse Eugenium Papam, Sacramenta tribus perfici, inter ea numerando Intentionem Ministris, & omittendo Intentionem suscipientis, &c. Formaliter loquendo esse eadem requisita in omnibus; requiritur enim consensus habitualis in omnibus, non quidem absolute sed conditionatè, si aliquando fuerit proprio arbitrio præditus. Ad id quod addebatur de Eugenio Papa, respondet Dicastillo, Pontificem voluisse enumerare requisita universaliter in omnibus, qualis non est intentio suscipientis, quæ in infantibus non requiritur, sicut nec in Eucharistiæ Sacramento vlla suscipientis intentio requiritur ad conficiendum hoc Sacramentum. Addit Card. de Lugo, Intentionem suscipientis posse subinelligi ex parte materiæ, sicut enim ablutio non quæcunque, sed corporis vivi est materia debita, ita etiam est ablutio hominis volentis abluì. Brevius respondetur, intentionem suscipientis esse complementum Intentionis Ministris in esse absolute, quia est conditio inexistens.

749. Objicitur 3. Extrema Unctio solet concedi etiam illis, qui usum rationis perdidērunt, nec antea illud Sacramentum petierunt, &c. Hoc ipso quòd quis fuerit Christianus, & voluerit talis vivere ac mori, jam præsumitur voluisse & consensisse implicite in illos ritus, quos in bonum animæ illius Ecclesia solet adhibere.

750. Ex hac responsione, quæ communis est & vera, nascitur difficultas non levis, an in adulto ad valorem baptismi sufficeret, si nihil quidem

dem vnquan in specie de baptismo cogitasset, sed tamen habuisset aliquandē generalem, & nunquam retractatam voluntatem seruandi omnia praecepta, v. g. habuisset attritionem ex motivo vniuersali.

Prima sententia affirmat. Ita Conink q. 64. a. 8. dub. 5. n. 103. & P. Dicastillo.

Secunda negat. Suarez d. 14. c. 2. Concl. 1. circa finem, vbi docet, in baptismo requiri magis expressam & formalem intentionem, quam in extrema vnctione. Suarezio accedit Lugo, Arriaga.

751. DICO 1. Voluntas seruandi omnia praecepta, non sufficit, vt validus sit baptismus collatus homini dormienti vel ebrio. item non sufficit, vt sit validus, quando modus conferendi alioquin in se esset illicitus, v. g. si conferretur sine debitis Solennitatibus. Probat. In tantum illa voluntas sufficeret, in quantum esset implicita voluntas seruandi omnia praecepta, & hoc ipso etiam recipiendi Baptismum, & eo modo recipiendi, quo modo ex praecepto recipi debet: atqui talis modus recipiendi Baptismum v. g. in ebrietate, somno &c. non est sub praecepto, imò est contra praeceptum: ergo voluntas seruandi omnia praecepta non est, ne quidem implicitè, voluntas hoc modo recipiendi Baptismum, imò est voluntas non sic recipiendi.

752. DICO 2. Homini Iudæo aut Gentili, habenti voluntatem generalem seruandi omnia praecepta ex motivo consequendæ salutis æternæ, posset validè & licitè conferri baptismus, constituto in extrema necessitate, v. g. in amentia perpetua, & finali, ita vt alioquin ipsi æternum pereundum esset, nisi baptizaretur. Hoc concedo primæ sententiæ, & reip̃a consentit Lugo d. 9. n. 128. & seqq.

Probat. à paritate extremæ Vnctionis, & quidem à fortiori. Sciendum autem est, extremam Vnctionem non ideo præcisè posse conferri in casu, quo quis repente venit in extremam necessitatem, & est privatus vsu rationis, quia talis homo habuit fortasse voluntatem generalem seruandi omnia praecepta, hæc, inquam, voluntas non sufficeret: quia est probabilis opinio, extremam Vnctionem non esse sub praecepto, vt docet Dicastillo: vnde non contineretur in illa voluntate: sed ideo, quia de tali homine rationabiliter præsumitur, habuisse voluntatem moriendi vt Christianum decet, cum omnibus spiritualibus adiumentis & subsidijs quæ posset consequi ab Ecclesia, etiam si non sint praecepta. Hac voluntate censetur implicitè consentire in extremam Vnctionem: qui enim vult Finem, censetur etiam consentire in Media, non tantum simpliciter necessaria, sed etiam in illa, quæ sine suo incommodo possunt ad illum finem plurimum conferre.

Hinc argumentor ad casum nostrum, & probo idem procedere de Baptismo. Qui enim vult efficaciter Finem, vtique consentit in omnia Media necessaria ad finem, siue deinde illud medium sit proximè sub praecepto, siue tantum remotè, propter illius ignorantiam: atqui in casu Contritionis est medium necessarium ad salutem, & salu fuit intentio ab illo homine per generalem voluntatem consequendi salutem: ergo habet contritionem in Baptismum.

753. Dices. Ergo si habuisset Contritionem perfectam, non posset baptizari, quia Baptismus non esset illi amplius necessarius, vt per se justificato per Contritionem. Respondetur, qui, nihilominus adhuc posse & debere baptizari, quia Baptismus adhuc est sub praecepto: Contritio autem est voluntas seruandi omnia praecepta: ergo adhuc est voluntas sufficiens recipiendi baptismum. Sed contra hanc responsionem vrgit Lugo Baptismum non esse sub praecepto prout absolute, nisi respectu illorum, qui illius necessitatem & vtilitatem cognoscunt, qualem modum non habet ille, de quo disputamus: Ergo Contritio in tali homine non est voluntas, ne quidem implicita, Baptismi, nisi sub conditione, si cognosceretur ejus necessitas: atqui in casu nostro hæc conditio non purificatur: ergo voluntas Baptismi, inclusa in Contritione, non transit in absolutam: ergo non sufficit ad recipiendum baptismum, quia requiritur voluntas absoluta.

Verum nec ipse Lugo negare potest, quid Contritio sit votum baptismi etiam in illo homine, qui ignorat praeceptum & necessitatem baptismi, vt constabit ex dicendis in tr. de Eucharistia, vbi ex ipso Lugone dicemus, Contritionem non esse Votum Baptismi, quia est voluntas seruandi omnia praecepta, & Baptismus est sub praecepto: ergo sufficit esse sub praecepto remotè, vt Contritio dicatur esse voluntas illius. Quare ad hoc non est satis eversa data responsio. Nihilominus

754. Aliter adhuc ad replicam respondetur, & dico 1. In tali casu debere baptizari sub conditione; quia non constat, nec potest sine revelatione constare certò, quod habuerit perfectam Contritionem. Dico 2. posse talem absolute baptizari, quia præsumi potest velle baptismum non quidem vt necessarium ad salutem, sed tamen vt seruientem ad maiorem sanctitatem, sine villo suo incommodo, consequendam. Ratio est, quia omnis qui vult esse amicus Dei, vtque consentit in maiorem gradum amicitie, vtque consequi potest sine maioribus impensis, vt de extrema Vnctione dictum est. Et hæc de sacramentis in genere.

